V. P. NICOLAI LANCICII

SOCIETATIS JESU

OPUSCULUM SPIRITUALE SEXTUM.

V. P. NICOLAI LANCICII
E SOCIETATE JESU

DE MEDITATIONIBUS RERUM DIVINARUM

recte peragendis, praesertim

in

RECOLLECTIONE OCTIDUANA

AD ASSEQUENDUM
MAGNUM IN VIRTUTIBUS PROFECTUM, PER EXCITATIONEM
NOVI IN DEI OBSEQUIO FERVORIS
ET ARDENTIS DESIDERII ADIPISCENDAE PERFECTIONIS MAJORIS,
AC PER SUAVEM MORUM REFORMATIONEM
INDE PROFICISCI SOLITAM.

Editio recens emendata.

ALMA COLLEGE
060132
LIBRARY
L226
Alma, California

CRACOVIAE,
E TYPOGRAPHIA „CZAS" FR. KLUCZYCKI ET SOCIORUM.
1883.

27319

APPROBATIO.

V. P. Nicolai Lancicii, S. J. Opusculum spirituale sextum, de Recollectione Octiduana denuo imprimi permittimus.

Cracoviae, d. 29 Maji 1883.

† ALBINUS
Eppus Cracovien.

L. † S.

MONITUM EDITORIS.

V. P. Nicolai Lancicii Opuscula Spiritualia *quo in numero pretioque habeantur ab iis, qui solidarum virtutum acquirendarum studium tum in se tum in aliis promovere satagunt, non facile quemquam latet. Societatem certe nostram quod attinet, jure merito graves ex ea viri censent, post beati ipsius parentis Ignatii scripta, maxima illa frui auctoritate. Nihilominus tamen quam plurimos a lectione eorum tam utili eam solum ob causam arceri videbamus, quod ad hunc usque diem desiderabatur editio commoda facileque paranda: veteres enim editiones et rariores jam sunt et nimii pretii, atque, si Ingolstadiensem postremam excipias, duobus vel tribus tomis in folio comprehensae, ideoque ad frequentiorem usum minus commodae. Quapropter confidimus novam editionem, quamvis non omnium, saltem praecipuorum opu-*

sculorum, quam hisce paramus, non solum plurimis gratam acceptamque fore, sed etiam jamdudum eorum votis expeti.

Cur autem non ipsorum opusculorum ordinem secuti a sexto edendo incipiamus, rationem lector ex materia, quam tractat, facile colliget. Est enim ejusmodi, ut major inde quam ex aliis latiusque se extendens utilitas speranda sit secundum ea, quae ipse auctor in sua ad lectorem praefatione scribit. Accedit quod, quum innumeri pene inde a primo Exercitiorum Spiritualium auctore, S. P. N. Ignatio, de iisdem libros ediderint, nec tamen omnes rectam ex mente beati Auctoris methodum, a qua fructus eorum praecipue pendet, tenuisse dici possint, maximi omnino faciendum videtur V. P. Lancicii hac de re opusculum: quippe qui non tantum ea aetate vixerit, qua recens adhuc ac vivida erat traditio a S. P. Ignatio accepta, sed etiam usu ipso tum in se tum in aliis miram eorum efficaciam expertus sit.

Jam si quaeras, lector, quam rationem in edendo hocce opusculo tenuerimus, scias, id nobis imprimis et potissimum curae fuisse, ut menda quam plurima, quae in editionem alteram et tertiam Ingolstadiensem irrepserant, et a quibus nec prima omnino immunis est, eliminaremus. Deinde et SS. Patrum et aliorum auctorum, etiam profanorum, dicta, quae plurima allegata invenies, sedulo contulimus cum exemplaribus emendatioribus, in quantum ad manum erant. Et Patrum quidem effata, paucis

exceptis, quae vel ob errorem vel antiquatam citandi rationem minime reperiri poterant, ad tenorem quem exhibet »Patrologiae Cursus completus accurante J. P. Migne«, revocavimus, eaque charactere literarum italico distinximus. Aliorum autem auctorum textus emendatos cognosces ex accurata loci, unde sint desumpti, assignatione. Ceterum pietas erga auctorem prohibuit, ne vel minimum textum ipsius, nisi necessitate adducti, immutaremus.

Haec te, lector benevole, monitum voluimus: tu vero accipe librum, fruere iis, quae continet, et vale!

Cracoviae, II Idus Junii MDCCCLXXXIII.

R. Koppe S. J.

INDEX CAPITUM.

Pag.

PRAEFATIO. — Ad Lectorem 1

CAP. I. — De fine collectionis annuae per exercitia spiritualia octiduana quaerendo 4

CAP. II. — De idea renovationis nostri spectanda in octiduana collectione 16

CAP. III. — Fundamenta duo procuranda in octiduana collectione, necessaria pro renovatione animae . . 21

CAP. IV. — Armandus animus in octiduana collectione contra respectus humanos 37

CAP. V. — De excitanda animi applicatione majore ad curam sui et rerum spiritualium per hanc octiduanam collectionem 59

CAP. VI. — Per collectionem octiduanam excitandum est ardens desiderium et cura acquirendae perfectae sanctitatis; pro qua re proponuntur varia motiva . 62

CAP. VII. — Traduntur modi bene operandi ad renovandam animae nostrae imaginem et Deo similem reddendam per hanc octiduanam collectionem . . 93

CAP. VIII. — Indicantur praecipui defectus foedantes imaginem animae nostrae, ut per hanc octiduanam collectionem eorum exstirpatio deinceps procuretur 102

CAP. IX. — Excitandum in octiduana collectione ardens virtutum desiderium, et aliquot ex illis recensentur peculiari modo quaerendae 138

CAP. X. — Octiduana collectio ordinanda est etiam ad poenas purgatorii evadendas; pro qua re traduntur motiva eas evadendi 156

Pag.

CAP. XI. — De modis evadendi poenas purgatorii in hac vita adhibendis 179

CAP. XII. — Armandus animus ad cruces post absolutam octiduanam collectionem ferendas 203

CAP. XIII. — Quae meditationes magis conducant in octiduana collectione ad executionem bonorum, propositorum, et in quo situs sit fructus exercitiorum spiritualium 213

CAP. XIV. — Qua in re transigendum tempus, quod intercedit inter horas meditationum 218

CAP. XV. — De veritatibus quibusdam suaviter cogitandis extra tempora meditationum in octiduana collectione 222

CAP. XVI. Describitur homo pie renovatus, et imitandus proponitur in octiduana collectione et post illam finitam 232

CAP. XVII. — Descriptio boni religiosi proposita ad imitandum illis, qui secesserunt ad octiduanam collectionem 236

CAP. XVIII. — Afferuntur causae, ob quas in multis non apparet, vel non diu durat fructus octiduanae collectionis 246

CAP. XIX. — Quid faciendum post octiduanam collectionem pro exsecutione constanti bonorum propositorum 269

CAP. XX. — De octiduana collectione eorum, qui sunt provecti in spiritu et conantur Deo perfecte servire et serio suo profectui in virtutibus attendunt 298

CAP. XXI. — Puncta meditationum pro octiduana collectione tironum et proficientium: quatuor pro singulis diebus 315

MEDITATIO I. — De fine communi omnibus . . 318

„ II. — De fine ac usu creaturarum . . 320

„ III. — De fine communi religiosorum . 321

„ IV. — De fine proprio Societatis . . 323

Pag.

MEDITATIO V. — De impedimentis ac mediis ad finem 325
„ VI. — De necessitate indifferentiae circa usum creaturarum 326
„ VII. — De peccato triplici 328
„ VIII. — De peccatis propriis 329
„ IX. — De poenis purgatorii 330
„ X. — De peccato veniali 332
„ XI. — Item 333
„ XII. — Item 335
„ XIII. — De radicibus peccatorum venialium 339
„ XIV. — De inferno 341
„ XV. — De morte in genere 342
„ XVI. — De morte tepidorum 344
„ XVII. — De judicio particulari 346
„ XVIII. — Fructus primae hebdomadae . . 348
„ XIX. — De regno Christi 350
„ XX. — De imitatione Christi 351
„ XXI. — De incarnatione et liberalitate, quam Deo debemus pro beneficio incarnationis 353
„ XXII. — De Christi nativitate 356
„ XXIII. — De duobus vexillis 360
„ XXIV. — De tribus gradibus humilitatis *ibid.*
„ XXV. — De tribus religiosorum classibus seu differentiis 361
„ XXVI. — De oratione Christi in horto . . 363
„ XXVII. — De Christo in judiciis male tractato 365
„ XXVIII. — De iis, quae Christus passus est in cruce pendens 367
„ XXIX. — De doctrinis, quas Christus proponit pendens in cruce 369
„ XXX. — De tribus obligationibus nostris erga Deum 372

Pag.

MEDITATIO XXXI. — An juxta proposita praeterita merito fugiendi sint praecipui defectus tredecim annotati . . 375

„ XXXII. — Summa praeteritatum meditationum 376

MEDITATIO: De quatuor stultitiis hominum, seu de quatuor caecitatibus 377

CAP. XXII. — De eximio fructu, quem quaedam monialis percepit in octiduana collectione 379

INDEX. — Rerum praecipuarum hujus opusculi ordine alphabeti 423

PRAEFATIO AD LECTOREM.

CRIPSERAM in Bohemia quatuor ante annos opusculum pro nostris Fratribus juvandis, dum juxta morem et nostrae Societatis statuta, semel quotannis, per spatium octo vel decem dierum, sepositis curis aliis, secedunt, ut piis meditationibus solito operosius animum excolant, et ad omnem virtutem ac apostolicae sanctimoniae studia vehementius inflamment. Docuit enim innumerorum experientia, in omni statu hominum sub nostra disciplina spiritualibus S. P. N. Ignatii exercitiis ac meditationibus, etiam per dies pauculos, excultorum, eas, quam plurimis attulisse, Dei beneficio, miram et repentinam, sed stabilem morum emendationem depravatorum: aliis vero vitae perfectioris inchoationem seriam: aliis notabilem in ea progressum: aliis in rebus dubiis salutem concernentibus, certam divinae voluntatis agnitionem: omnibus denique incrementum novi in divino obsequio fervoris et diligentiae, majoremque Dei et rerum divinarum, ac sui ipsius notitiam. Quae cum in se ipso expertus fuisset (ut minus celebres non commemorem) S. Carolus Borromaeus Cardinalis et Archiepiscopus Mediolanensis, adhuc penes Pium IV. Romanum

Pontificem, suum avunculum, Romae in Vaticano Palatio manens, in his exercitiis sibi a nostro P. Joanne Baptista Ribera prima vice datis, ea postea iterabat quotannis, et per plures ante mortem annos, bis quolibet anno illa per octo vel quindecim dies (semper aliquo e nostris Patribus ea ipsi explicante) repetebat; et alios suae curae immediatae subjectos, iis quotannis exerceri curabat; ac immediate ante mortem, per eadem sese disposuit pro feliciore ex hac vita migratione ad illam beatam et aeternam in coelis; usus hac in re, tunc etiam, opera confessarii et patris spiritualis sui, nostri P. Francisci Adorni, in cujus manibus sanctam et innumeris meritis plenam animam Deo reddidit, et cui statim gloriosus apparuit, mortemque ejus brevi subsecuturam verissime praedixit. Quocirca, ut tam salutaris spiritus medicina ad curandos animae morbos, et ad sanitatem conservandam illius, ac ad vires spirituales augendas, nec non ad renovandam et illustrandam in nobis, virtutum coloribus, Dei imaginem, divinitus S. P. N. Ignatio tradita, et a S. Sede Apostolica ad illam adhibendam hortante, amplissime approbata et collaudata, tamquam: pietate ac sanctitate plena, et ad aedificationem et spiritualem profectum fidelium valde utilis ac salubris, et quae ad fructus uberes in Ecclesia Dei ubique gentium productos maximum adjumentum attulit; ut, inquam, haec medicina recte et cum fructu sumatur, hoc opusculum, extra privatos parietes, pro aliorum quoque usu, nunc educo in lucem.

Spero enim valde profuturum iis etiam, qui sine octiduana recollectione, quamvis in statu saeculari, piis rerum divinarum meditationibus sese quotidie impendunt, et Deo valde cari ac perfecti esse volunt. Proprio enim experimento agnoscent (si exequentur monita in hoc opusculo data) suas in meditatione, praesertim Vitae et Passionis Christi Domini, considerationes, Deo adjuvante, fore tales, qualem esse ait S. Bernardus, scribens ad suum olim discipulum, postea Romanum Pontificem Eugenium III.: *Consideratio primum ipsum fontem suum, id est mentem, de qua oritur, purificat. Deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat et ordinat; postremo divinarum pariter et humanarum rerum scientiam confert. Haec est, quae confusa disterminat, hiantia cogit, sparsa colligit, secreta rimatur, vera vestigat, verisimilia examinat, ficta et fucata explorat. Haec est, quae agenda praeordinat, acta recogitat, ut nihil in mente resideat aut incorrectum, aut correctione egens. Haec est, quae in prosperis adversa praesentit, in adversis quasi non sentit* [1]). Ut autem meis in hoc opusculo consiliis, uti et in aliis, major fides accedat, ea Sanctorum confirmavi et illustravi sententiis, quae visae mihi sunt, ut loquar cum eodem S. Bernardo, *deliciosae ad saporem, solidae ad nutrimentum, efficaces ad medicinam* [2]). (Vale! Pragae. A. 1641.)

---

[1]) De consider. l. I. c. 7. [2]) Serm. LXVII. in Cantic. n. 1.

CAPUT I.

De fine recollectionis annuae per exercitia spiritualia octiduana quaerenda.

In omnibus occupationibus nostris, eae ut succedant bene, ante omnia habenda est ratio finis, ob quem eae suscipiuntur, ut ait Abbas Moyses apud Cassianum [1]). Ita enim fiet, ut apta eligantur media ad consequendum finem praefixum. *Peregrinantibus in hac praesentis vitae vastissima solitudine,* inquit S. Laurentius Justinianus, *oportet nos non ignorare, quo tendimus. Nam ambulare quotidie, non praemeditato nostri itineris fine, imprudentissimum est. Hoc quidem irrationabilium jumentorum est proprium, sensu videlicet carnis, non ratione moveri; pergunt utique et ignorant, quo..... Homo vero non sic* [2]).

Finis ergo hujus recollectionis annuae et cujusvis extra annuam recollectionem meditationis, praefigendus est nobis ille ipse, quem S. P. N. Ignatius statuit esse finem exercitiorum omnibus communem, scilicet: praeparatio et dispositio animae ad tollendas affectiones omnes male ordinatas, ut iis sublatis quaeratur et inveniatur voluntas Dei (et inventa impleatur), circa vitae nostrae institutionem et salutem animae, ut homo vincat se ipsum

---

[1]) Collat. I. c. 1. [2]) L. de humil. c. 14. init.

et vitae suae rationem instituat, determinatione a noxiis affectibus libera. Sed quum ratio status religiosi aliquid peculiare exigat, ad quod saeculares nulla lege adiguntur, puto in exercitiis a quovis religioso peragendis finem esse debere: plenam sui renovationem, praestantiorem quam esse debeat in saecularibus. Porro, cum sit multiplex rerum renovatio: in exercitiis renovatio deberet esse similis renovationi imaginis alicujus antiquae; quae renovatio in duobus sita est:

I°. Ut omnia illa, quae illam obscurarunt, abluantur et abradantur, ut sine maculis et sordibus munda appareat. *Vitiositas autem,* ut ait S. Gregorius Nyssenus, *divinam imaginem referenti signo circumfusa, bonum turpibus velamentis obductum et occultatum inutile tibi fecit. Si igitur diligenti et accurata vita sordes cordi illitas et obductas rursus ablueris, resplendebit in te divina pulchritudo. Quemadmodum in ferro fieri solet, cum id, quod paulo ante nigrum erat, per cotem detracta rubigine, splendores quosdam in se ad solem refulgens et nitores edit, ita homo quoque internus... cum sordes rubiginosas... absterserit, rursus cum orginali et principali forma similitudinem recuperabit, ac bonus erit*[1]). Hae animae maculae melius cognoscuntur tempore exercitiorum, ut experientia docet eos, qui illis accurate vacant. Alioquin alias multi tepidi, ut scribit S. Chrysostomus:

[1]) De beatitud. or. VI. med.

Non cogitant animae deformitatem, neque ejus foeditatem noverunt. Sed apud tonsorem sedens, comam detondens, arrepto speculo caesariem consideras, et adstantes ipsumque tonsorem interrogas, num ornate frontem concinnaverit : ac saepe, senex cum sis, non vereris juvenilibus studiis insanire : animam vero nostram, non modo deformem, sed etiam ferinae formae esse, instar Scyllae et Chimaerae, quae in fabula feruntur, ne minimum quidem sentimus [1]). Animadvertentur autem maculae deformantes animam, si bene exercitia peragentur. Nam tempus exercitiorum est reliquis ordinariis aptius ad introspiciendum statum conscientiae nostrae. *In speculo conscientiae*, inquit S. Bernardus, *status exterioris et interioris hominis cognoscitur. Anima enim non novit se, quae sine speculo est. Speculum mundum, clarum et purum totius religionis, bona conscientia. Sicut enim mulier, quae viro suo sive amico placere desiderat, in contuitu speculi imaginem oppositam reddentis, decorem et pulchritudinem faciei componit : sic anima, in quibus ab imagine veritatis discedit, vel in quibus vestigia creatricis imaginis recipiat, in conscientia relegit et intelligit. Non immerito conscientiam speculo comparavimus ; quoniam in ea, tamquam in speculo rationis oculus, tam quod decens, quam quod indecens est in se, claro adspectu apprehendere potest* [1]). Sed non satis est,

---

[1]) In Matth. hom. IV. n. 8. [2]) Tr. de inter. domo c. XI. n. 19.

tempore exercitiorum in hoc conscientiae speculo agnoscere maculas animae nostrae imaginem foedantes, easque sive bona confessione, sive manifestatione conscientiae extra confessionem facta, sive aliis modis in S. Ecclesia usitatis, abolere; ideo

II°. Danda est opera, ut si vel vetustate temporis vel aliquâ aliâ injuriâ, non bene cernitur illa imago repraesentare suum prototypum, novorum appositione colorum reddatur quam simillima suo prototypo Deo. Nam si: *Perfecti viri*, ut ait S. Laurentius Justinianus, *renovantur singulis pene horis spiritu mentis suae, et induunt novum hominem secundum Deum formatum; progrediuntur quoque de virtute in virtutem, transformanturque de claritate in claritatem, quatenus quantum possibile est, configurentur imagini increatae, ad cujus imaginem creatos se esse cognoscunt* [1]): quanto magis ii servi Dei, qui longe a perfectorum virorum classe distant et sunt dissimiles Deo, se quotidie renovare debent, ut sint ei simillima imago. *Quemadmodum enim*, ait S. Chrysostomus, *in imagine, donec picturae additi fuerint colores, non videre est nisi umbram; ubi vero, coloribus impositis, nitor supervenit, tunc fit imago* [2]).

Cum autem imago, ad quam creati sumus, sita sit in tribus animae nostrae potentiis: intellectu, memoria et voluntate cum anima nostra unitis,

[1]) L. de obedient. c. 22. [2]) In ep. ad Hebr. hom. XVII. n. 2.

ut ait S. Ambrosius [1]); et similitudo nostra cum Deo consistat in virtutibus animam ornantibus, uti docent SS. Patres Latini et Graeci [2]), immo et Simplicius ethnicus, dicens: «Ad Dei similitudinem contendentes (ea vero similitudo est, sapientiâ duce, fieri justum et sanctum) ad Deum accedimus et cum Deo conjungimur[3])». «Deo similis est, inquit Plato, vir bonus... Immo sacratissimum omnium est vir bonus: profanissimum contra vir malus»[4]): renovatio nostri in his exercitiis procuranda debet versari circa renovationem intellectus, memoriae, ac voluntatis, per abolitionem peccatorum; et circa virtutum acquisitionem, et acquisitarum usum, quibus anima tamquam coloribus ornatur, ut ait S. Chrysostomus hom. XXI. et in Exposit. in Psalm. hom. VII. et S. Bernardus serm. XXVII. in Cantica. Sed videamus S. Chrysostomum: *Virtutis munus est, quasi amicire animam, et quidem amicire exornando*[5]). Et S. Gregorius Nyssenus hanc *animae veluti reginae purpuram* esse dicit, ac *regium cultum*, et *vivos colores, quibus in anima pulchritudo divina exprimitur*[6]).

Quocirca in meditationibus faciendis, tum tem-

---

[1]) De dign. condit. hum. c. 2. et 3. [2]) *Basil.* in Hexaem. tr. X; *Chrysost.* in Genes. hom. IX et serm. II; *Hieron.* in Ezech. c. XXVIII; *August.* l. cont. Adimant. c. 5; *Ambros.* de fuga saec. c. 4; *Isidor. Pelus.* l. III. ep. 95; *Joan. Damasc.* de fide orth. l. II. c. 12; *Anselm.* l. medit. med. 1; *Bernard.* serm. de Annunt. [3]) In c. 38. Epict. q. 3. [4]) In Minoe. [5]) In Acta, hom. XXV. n. 4. [6]) L. de opific. homin. c. 4.

pore collectionis proximae, tum quovis alio, illud spectandum erit, ut et abradantur omnia illa, quae hactenus macularunt et sordidas fecerunt potentias animae nostrae, et ut ea inducantur, quae possunt animam nostram et corpus nostrum reddere quam simillimum Deo incarnato, suam Divinitatem, nostro corpore, hypostatice sibi una cum anima et potentiis unito, velanti et se nobis ad imitationem ejus virtutum et modum eas exercendi, instar ideae et speculi cujusdam proponenti. Nam, ut praeclare ait S. Basilius: *Omnis actio, omnisque sermo Servatoris nostri Jesu Christi pietatis ac virtutis regula est. Quapropter pietate ac virtute nobis veluti in imagine depictis, etiam naturam humanam assumpsit, ut unusquisque et unaquaeque ad id respicientes, pro viribus archetypum ac exemplar imitaremur. Nam eam ob causam corpus nostrum gerit, ut et nos illius vivendi rationem, quoad ejus fieri potest, exprimamus*[1]).

Haec renovatio si fiat in rebus supra dictis, implebimus omnem justitiam, exemplo Christi, id S. Joanni Baptistae, sub tempus sui baptismi commemorantis; quia, juxta doctrinam Spiritus sancti et expositionem S. Thomae[2]), partes justitiam nostram integrantes sunt duae, nimirum, ut dicitur in Psalmis: *declinare a malo, et facere bonum*[3]); quod ait ibidem esse, *actum completivum et quasi partem principalem justitiae*[4]). Malum

---

[1]) Constit. monast. c. I. n. 1. [2]) 2. 2. q. LXXIX. a. 1. [3]) Ps. XXXVI, 27. [4]) Ibid. ad 3.

declinatur per ablutionem et abrasionem omnium macularum et sordium nostram imaginem denigrantium; bonum vero fit per acquisitionem earum virtutum, quae nobis desunt, et usum bonum et ordinatum earum, quas acquisitas antea et divinitus nobis infusas habemus.

Porro maculae imaginem potentiarum nostrarum et animae deturpantes, sunt triplices: — 1° peccata, — 2° imperfectiones, — 3° obligatio subeundarum poenarum in hac vel in altera vel in utraque vita, quae etiam culpis peccatorum ablutis, ut plurimum, solet in nobis remanere. Quocirca danda est opera, ut ab his maculis penitus mundemur in hac octiduana collectione, et suo modo, in quotidianis meditationibus.

A peccatis quidem, per bonam confessionem generalem; ab imperfectionibus, per magnam earum detestationem, et reliquo tempore, per magnam earum fugam; ab obligatione poenarum, per ardentissimos actus internae poenitentiae (sitos in dolore ardenti ob offensum Deum) et ignitum amorem bonitatis infinitae, toties et tot modis offensae a nobis. Quod facilius assequemur, si deinceps constanter (cum majorum licentia) externarum poenitentiarum nostro corpori molestarum usus frequens accesserit, adeo omnibus Sanctis eximiis, etiam in decrepita aetate, familiaris. Inter peccata autem includo violationem regularum religiosarum, quae, etsi in quibusdam religionibus, per se non obligent ad ullum peccatum, tamen fere nunquam violantur sine peccato, ob causas a

S. Thoma [1]) et Cajetano, aliisque Theologis assignatas.

Per imperfectiones inculpabiles hic intelligo, naevos quosdam in exterioribus actionibus nostris, qui etsi manifesta peccata non sint, sunt tamen improbati a Sanctis et vitae spiritualis magistris, immo nonnulli etiam ab ipsis ethnicis. Harum imperfectionum e numero sunt: sedere divaricatis pedibus, vel cruribus plus aequo protensis; sedere uno genu alteri superposito et pendente; incedere manum unam vel utramque instar seminantis huc illucque agitando; et his similes defectus contrarii civilitati et urbanitati morum, a me in opusculo de cura minimorum enumerati.

Ut autem haec nostri interior et exterior (quoad membra et actiones corporis) renovatio recte fiat, habenda est ratio prima finis, propter quem a Deo creati sumus. Sicut enim in opificiis humanis et in negotiis saeculi, ut bene fiant, finis, qui in iis quaeritur, spectandus est: ita et in divino obsequio, propter quod piae meditationes fiunt et collectio quotannis iteratur, finis habenda est ratio, tum communis omnibus, tum proprii cujusque congregationis.

Porro finis communis omnibus, quatuor partibus constat, judicio S. P. N. Ignatii, nimirum: laudatione Dei, reverentia erga Deum, ejus servitio, nostri salvatione. Nec enim haec verba tamquam synonyma posita sunt, sed singula

---

[1]) 2. 2. q. CLXXXVI. a. 9. ad 1.

peculiare denotant vitae spiritualis officium, uti bene observarunt antiqui Patres, a S. Ignatii temporibus, exercitiorum directores. Unde sequitur, omnes illas actiones tam internas, quam externas (inter quas est locutio nostra, tanquam oris et gutturis vera actio) et omnes modos eas peragendi, emendandos esse in exercitiis proximis, et post illa constanter (postposito omni humano respectu) propter Deum vitandos, imo fugiendos cum quadam spiritus celeritate, qui non redundant in Dei laudem et reverentiam, (sed iis contrarii sunt) et qui dedecent veros et fideles Dei servos, ac non prosunt ad incrementum nostrae salutis: quia vel non sunt meritorii, vel impediunt merita, quorum aggregatione et cumulo crescit et augetur nostra salus seu salvatio, sita in beatitudine aeterna visionis et fruitionis Dei, quae in hominibus justis, quolibet opere meritorio (suo tempore post mortem danda) acquiritur et augetur [1]).

Quocirca ipso exercitiorum tempore, dum meditaberis de fine communi omnibus, postquam profundâ consideratione tibi cum divino auxilio persuaseris, omnino te debere illa quatuor paulo ante commemorata quaerere, et in praxim deducere totâ vitâ tuâ, in omnibus occasionibus, et coram omnibus personis, accurate examina triplicem conversationem tuam: scilicet eam, quam habes cum Deo in meditatione, sacro, rosario, confessione, communione, litaniis, horis canonicis, vel officio di-

[1]) Cfr. Trid. sess. VI. c. 16 et can. 32.

vino; item conversationem cum domesticis, domi in recreatione, foris ambulando ad civitatem, vel ad campos, aut hortum, et in itineribus, et missionibus, vel praediis, vel in cubiculis; item conversationem cum externis, in scholis, templo, sacristia, in eorum aedibus etc. Et si quid inveneris a te vel dici, vel fieri, vel omitti solitum, quod non redundet in Dei laudem et reverentiam et servitium, et non conducat ad augmentum tuae salutis, et coronarum acquirendarum suo tempore in coelo, sed potius his esse contraria vel certe horum impedimenta, heroice te resolve ad haec omnia renovanda modis supra dictis.

Quoniam vero satis non est, ut vivas sicut debet vivere bonus christianus, imo et bonus ethnicus, et pharisaeus bonus (quo Christus[1]) nos vult esse perfectiores in vivendi ratione, et quidem si salvi esse velimus) habenda est ratio finis proprii tuae congregationis vel instituti. Hinc sequitur, debere te in tuis meditationibus, praesertim exercitiis, omnes tuas actiones, locutiones, omissiones, conversationes, cum hoc tuo fine conferre: an sint tales, quales esse debeant in homine perfectionem quaerente pro se, et pro iis, cum quibus conversaris. Et si quid inveneris repugnare perfectioni, resolve te heroice, ad id deinceps vel vitandum, si omnino vitari debet, vel emendandum. Ideoque omni humano respectui valedicito.

Ut autem compendiose dicta hoc capite pro-

[1]) Matth. V, 20.

ponam iis fratribus nostris, qui non omnino perfecte vivunt, hos fines suadeo quaerere in octiduana collectione:

1. Ut per eam resolvant se nunquam deliberatum ullum veniale peccatum committere et nullam regulam violare.

2. Ut passionem illam, cui magis sunt obnoxii, deinceps refrenare curent, ne ab ea ad peccata perducantur; et (quia hoc satis non est), ne ab ea valde inquietentur.

3. Si habent prava aliqua dictamina contraria vel statui religioso in genere, vel regulis, vel Superiorum monitis, vel probatis consuetudinibus Societatis, ut ea excludant ex animo. Talia dictamina sunt, vel potius effectus eorum: erubescere vel fugere mortificationes publicas, modestiam in incessu, colloquia spiritualia, conversationem cum magis devotis et exemplaribus fratribus, et his similia.

4. Ut concipiant ingens desiderium sancte vivendi, et merita quam plurima congregandi; unde sequantur haec bona: ut omnes particulae temporis, non in otiosis colloquiis vel otio consumantur, nec in occupationibus praesenti tuo statui non necessariis, nec pro futuro servituris; ut pro magna felicitate reputes, si tibi injungantur quam plurima facienda, praeter occupationes tuas ordinarias; ut omnia ordinaria opera facias cum magna diligentia et fervore; ut omnes adversitates patienter et libenter toleres, praesertim quando juxta praescriptum regulae 8, 9, 10 et 11, accusaberis, punieris etiam sine justa et vera causa; ut lectio librorum mere

spiritualium tibi magis sapiat, quam profanorum, uti etiam oratio magis, quam colloquia otiosa et ludicra et evagationes ac recreationes non necessariae.

5. Ut sic velint deinceps vivere, modis infra indicandis, ne post mortem in purgatio detineantur in poenis illis gravissimis, vel saltem ne diu ibi eas patiantur (quod fideliter et ferventer Deo servientes, et omnes regulas exacte servantes Dei beneficio assequuntur), sed relinquant magnos thesauros Ecclesiae pro indulgentiis, a Romanis Pontificibus distribuendis et tam vivis quam defunctis per modum suffragii applicandis.

6. Qui amaro solent esse animo, et male contenti de sua vocatione vel statu, sive ob privatas aliquas offensiunculas, sive ob aliqua, quae vident in aliis impunita, sive ob Superiorum gubernationem non talem, qualem debere esse judicant, hi exercitia ad hoc quoque, et praecipue, dirigant, ut in iis omnem amaritudinem deponant, et redeant ad animae quietem et jucunditatem.

Quod assequentur tum aliis modis divinae gratiae, tum his, quibus: — 1° si bene penetrent, se ob peccata vitae saecularis infernum promeritos, agnoscent se majora debere totâ vitâ pati; — 2° etiam ob peccata venialia quotidiana, se mereri poenas purgatorii, quas evadere possunt, tolerando mundi et religionis incommoda et mala quae patiuntur; — 3° si intime penetrent, Christum plura passum eorum causa; — 4° si bene apprehendant statum religiosum, esse statum cru-

cis, ob quam SS. Patres[1]) religiosos vocant cruci-fixos et cruciferos.

CAPUT II.

De idea renovationis nostri spectanda in octiduana recollectione et in quotidianis meditationibus.

Quo autem certo agnoscas, quid sit perfecte vivere, vel unde petenda sit renovationis tui idea, cui tua omnia conformare deinceps debeas; hi sunt magistri, qui te docebunt:

I°. Tua conscientia. *Sufficientem magistrum habemus,* inquit S. Chrysostomus, *conscientiam, et fieri non potest, ut quis illo adjumento privetur. Nam simul cum formatione hominis insita est illi scientia faciendorum*[2]). Ideo P. Balthasar Alvarez dans monita cuidam religioso, sic scribit ad illum: «Ne internam morum reformationem negligas, nec magistrum ipsum internum, qui sensim ingerit, quid sequendum, quid fugiendum, quid tolerandum sit»[3]).

Multos autem et alios, ait idem S. Chrysostomus, *praeter conscientiam, praeceptores nobis Deus proposuit: etenim..... et aegritudines et negotiorum pressurae nos docent: ... et paupertas cohibet, et*

---

[1]) *Basil.* Constit. monast. c. 1; *Ephraem.* t. II. paraen. I; *Chrysost.* in Matth. hom. IX et hom. LXVIII; *Theodor. Stud.* serm. CXXVI et C. [2]) In c. XXVII. Genes. hom. LIV. n. 1. [3]) Vit. c. 34. pag. 402.

multa castigat, et periculum corripit, et multa alia hujusmodi [1]).

II°. Exempla Sanctorum in eorum vitis tibi ad imitationem proposita. *Sanctorum virtutes,* inquit S. Laurentius Justinianus, *in litteris annotatae sunt, tanquam luminaria in opaca noctis caligine viatoribus exposita, qua sine offensione pergere, et ad quem suae peregrinationis finem, et intentionem suam sistere debeant* [2]). *Si velis,* ait S. Chrysostomus, *Apostolis par esse, nihil obstat. Si illam virtutem amplectaris, sufficit illa tibi, ut nihil minus quam Apostoli habeas* [3]).

III°. Vita Christi Domini, ad quam moribus nostris exprimendam aspirare debemus, postquam Sanctorum vivendi rationem fuerimus plene assecuti. *Haec potissima Incarnationis Verbi causa fuit,* ait S. Laurentius Justinianus, *quatenus per assumptum hominem documenta saluberrima* — quod magistri et doctoris munus est — *tribueret Deus, quibus peccator homo amissa recuperaret dona, deformatam reformaret imaginem, et coelestem, a qua longaverat multum, remearet ad patriam* [4]).

Desiderans enim Deus nos esse simillimos in virtutibus Domino nostro Jesu Christo, ut ait S. Augustinus, *quia incredibile videbatur hominibus quod promittebat Deus, ex hac mortalitate, cor-*

---

[1]) Ad popul. Antioch. hom. XIII. n. 4. [2]) De instit. et regim. Praelat. c. XIII. init. [3]) In Matth. hom. XLVI. al. XLVII. in fine. [4]) Serm. in fest. Exalt. S. Cruc.

ruptione, abjectione, infirmitate, pulvere et cinere futuros homines aequales Angelis Dei, non solum Scripturam cum hominibus fecit, ut crederent, sed etiam fidei suae posuit mediatorem..... unicum Filium suum: ut qua via nos perducturus esset ad illum finem quem promisit, per eum ipsum Filium suum et ostenderet et praeberet. Parum enim erat Deo, ut Filium suum faceret demonstratorem viae; eum ipsum viam fecit, ut per illum ires, regentem te, ambulantem per se [1]). Non est praesumptio, velle in hac renovatione nostrae imaginis, aspirare praesidio divinae gratiae ad similitudinem et imitationem Christi: Deus enim id exigit ab omnibus per Apostolum Paulum: *Estote imitatores Dei, sicut filii carissimi* [2]). *Sed unde audeat,* inquit S. Bernardus, *anima aspirare ad nuptias Verbi?* — hoc enim imitatio Christi Dei nostri adfert — Et respondet: *Quid non tute audeat apud eum, cujus se insignem cernit imagine, illustrem similitudine novit? Tantum est ut curet naturae ingenuitatem vitae honestate servare, imo coeleste decus, quod sibi originaliter inest, dignis quibusdam studeat morum affectuumque venustare et decorare coloribus etc.* [3]).

Hanc ideam sic compendio explicat S. Bonaventura: *In omnibus virtutibus et bonis moribus propone semper clarissimum speculum et totius sanctitatis perfectissimum exemplar, scilicet vitam*

---

[1]) Enarr. in Ps. CIX. n. 2. [2]) Eph. V, I. [3]) In Cantic. serm. LXXXIII. n. 1.

et mores Filii Dei Domini nostri Jesu Christi, qui ad hoc nobis de coelo missus est, ut aperiret nobis viam virtutum, et legem disciplinae suo exemplo daret nobis, et erudiret nos per semetipsum, ut sicut ad imaginem ejus naturaliter creati sumus; ita ad morum ejus similitudinem per imitationem virtutis pro nostra possibilitate reformemur, qui ejus imaginem in nobis foedavimus per peccatum. Quanto enim quisque se ei in virtutis imitatione hic conformare studuerit, tanto ei in prima gloria et claritate appropinquabit et similior erit. Describe tibi in corde tuo mores, et actus suos, quam humiliter se habuit inter homines, quam benignus inter discipulos, quam modestus in edendo et bibendo, quam misericors super pauperes, quibus se similem fecerat per omnia, et qui de ejus specialiter familia videbantur; quomodo nullum sprevit vel horruit, etiamsi erat leprosus; quomodo divitibus non adulabatur; quam liber fuit a curis mundi, nec anxius pro corporis necessitatibus; quam verecundus in visu, quam patiens ad contumelias, et quam mitis in responsis: non enim studuit se vindicare verbo mordaci et amaro, sed blando et humili responso alterius malitiam sanare. Item quam compositus in omnibus gestis suis, quam sollicitus de animarum salute, quarum amore voluit incarnari et mori dignatus est. Quomodo se ipsum praebuit exemplum omnis boni; quomodo mulierum familiaria colloquia vitavit causa exempli: unde etiam discipuli mirabantur, quando solus cum Samaritana loque-

batur, eo quod quasi insolitum videbatur in ipso. Item quam patiens laboris et penuriae, quam compatiens afflictioni. Quomodo condescendit infirmorum imperfectioni: quomodo omne scandalum cavebat, quomodo peccatores non sprevit, quomodo poenitentes clementer suscepit. Quam placidus in omnibus dictis suis: quam studiosus ad orationem, quam promptus in ministrando, sicut ipse dixit: »Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat« (Luc. XXII, 27). Item quam sobrius ad vigilias, quam obediens parentibus. Quomodo omnem jactantiam et singularitatis ostentationem declinavit. Quomodo omnem gloriam et potestatem hujus mundi fugit. Multa alia ipsius acta memoriae tuae propinqua sint, ut in omnibus factis et verbis tuis semper ad hunc quasi exemplar respicias, incedens, stans, sedens et comedens, tacens et loquens, solus et cum aliis. Et ex hoc magis diliges eum, et familiaritatis ejus gratiam et fiduciam assequeris, et in omni virtute perfectior eris. Et haec sit sapientia tua, et meditatio, et studium, semper aliquid de ipso cogitare, unde vel provoceris ad imitandum eum, vel afficiaris ad eum amandum. Talia meditando et ruminando tempus utiliter expendis, dum occuparis in bonis studiis circa ipsum Dominum Jesum Christum, et mores tuos emendas ad formam vitae ipsius et conversationis, semper ad eum respiciens, qualiter in his se habuit, vel se habere potuit, secundum existimationem tuam; quia qui in omnibus sem-

per est optimus, optimo et perfectissimo modo se gerebat [1]).

IV°. Regulae et ordinationes et omnia statuta tui Ordinis, vel Congregationis, vel Capituli, si es Canonicus, vel Synodi dioecesanae vel provincialis, si es Parochus, praebent amplum et sufficiens magisterium, etiamsi alia deessent. Hoc est insitum omnibus legibus, etiam humanis et politicis: docent quae vitanda sunt, quae facienda, et morum morbos curant. Hinc Demosthenes dixit: «Ut quae in corporibus oriuntur infirmitates, medicorum inventis curantur: sic animorum immanitas legumlatorum prudentia exterminatur» [2]). Quapropter quidquid in te inveneris discrepans ab his quatuor magistris, abole, vita; et contraria acquirere deinceps stude.

CAPUT III.

Fundamenta duo procuranda in octiduana recollectione, et in quotidianis meditationibus, necessaria pro renovatione animae.

Caeterum ut constans sit tui renovatio quoad supradicta, duabus in rebus debes te fundare in meditationibus, praesertim tempore annuae collectionis: 1°) In viva et profunda cognitione necessi-

---

[1]) De institut. Novit. p. I. c. XIII. [2]) Adv. Aristogit. or. II. in fine.

tatis te in supradictis rebus renovandi. 2°) In abscindendis a te illis impedimentis, ob quae antea, sive per quae, deveniebas ad maculandam hanc in te Dei imaginem, ac similitudinem deturpandam, et faciebas contraria fini tuo, ad quem creatus, et ob quem ad tuum Ordinem vel Congregationem vocatus es. Nam nisi te bene fundaveris in his duobus, bona proposita, quae tempore meditationum facies, non durabunt, cito redibis ad malos pristinos mores; et tepide vivendo ac negligenter et non juxta perfectionis dictamina, infamabis exercitia: uti dicebat S. P. N. Ignatius de iis, quos non sperabat per ea adjutum iri.

Necessitatem te perfecte renovandi, tum aliis viis, quas divina Majestas ostendere solet in exercitiis, tum his apprehendere poteris.

I°. Ipsa imaginis artificiatae natura id exigit. Nam uti a. 1594 dixit nobis Card. Bellarminus in quadam exhortatione domestica in Collegio Romano noster tunc Rector, et postea scripsit in opusculo quodam: *Si imago sensum haberet nihil magis optaret, quam perpetuo exemplar suum aspicere et illi quam simillima fieri. Exemplar tuum, o anima, Deus est* [1]). Et hoc ipsum ante Bellarminum S. Basilius commendavit his verbis: *Homo ad imaginem et similitudinem Dei factus est (Gen. I, 26): sed peccatum, animâ ad vitiosas cupiditates impulsâ, deformavit imaginis pulchritudinem..... Revertamur ergo ad gratiam initio*

[1]) De ascens. mentis, grad. I.

nobis concessam, ex qua excidimus per peccatum: et rursus juxta Dei imaginem exornemus nosmetipsos, ac conditori per omnem affectuum vacuitatem similes efficiamur. Qui enim in seipso, quoad ejus fieri potest, illam divinae naturae ab affectibus vacuitatem imitatus fuerit, is in sua ipsius anima Dei imaginem in integrum restituit. Qui autem effectus est Deo similis juxta eum quem diximus modum, omnino etiam divinae vitae adeptus est similitudinem, perpetuo in aeterna illa beatitudine mansurus. Itaque si per affectuum vacuitatem rursus Dei imaginem recuperemus, vitaeque perpetuitatem nobis impertiat Dei similitudo, ceteris omnibus neglectis, huc studium convertamus, ut anima nostra nullius unquam vitii tyrannide opprimatur; sed mens nostra immota et insuperabilis permaneat in tentationum assultibus, ut divinae beatitudinis fiamus participes [1]).

Etenim *imago*, ut ait S. Joannes Damascenus, *est similitudo et effigies cujuspiam, in qua ille cujus est imago ostenditur* [2]). Nam graecum εἴκων ab εἴκω, id est *assimilo, repraesento*, deducitur: uti ex Concilio II. Nicaeno docet Sanderus l. I. de ador. imag. c. ult. §. Leoni. *Esse autem Deo similem*, inquit S. Chrysostomus, *caput est omnium bonorum* [3]). Cum ergo sis rationalis imago Dei, debes optare et te renovare, ut sis Deo simillimus. *Homo enim idcirco factus est a Creatore*, inquit S. Gre-

---

[1]) Serm. ascetic. (post Moral.) I. n. 1. [2]) De imaginib. or. III. n. 16. [3]) In Matth. hom. LII. al. LIII. n. 4.

gorius Nyssenus, *ut esset divinae ac supernae virtutis animatum quoddam simulacrum* [1]).

II°. Dei immensi intima praesentia et perspicacia, cernentis magis nos et nostra omnia, quam possint videri ab humano oculo facies nostrae. Si ergo venturi in conspectum hominum, erubescimus comparere in publico, scientes nos habere maculatam faciem vel vestem foetentem, ideoque quamprimum haec abolere nitimur: quanto magis id faciendum est ob maculas et sordes animae, et ob respectum infinitae puritatis et sanctimoniae nobis intime praesentis, et omnia cernentis, et summe abhorrentis ab omni macula animam, quae est domus ejus et habitaculum, foedante. *Nemo est enim,* inquit S. Basilius, *qui se ad inferiorem convertat, si persuasum habeat adesse praestantiorem. Quin potius si contigerit, ut quae fiunt cuipiam homini clariori et illustriori grata sint et accepta, alteri vero viliori invisa et reprehensione digna videantur; contemptâ hâc inferioris reprehensione, pluris facit praestantioris approbationem. Quod si inter homines res ita se habeant, quaenam, quaeso, anima vere prudens et sana, quae Deum praesentem esse sibi penitus persuaserit, iis omissis quibus Deo placere possit, modo se ad aucupandam humanam gloriam conversura est, modo vero neglectis Dei mandatis, inserviet humanae consuetudini, aut a communi et anticipata opinione vincetur, aut flectetur a dignitatibus? Sic erat ani-*

[1]) De infantib. qui praemature abrip. Explicat.

matus qui dixit: «Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua, Domine». (Ps. CXVIII, 85.) Et rursus: «Et loquebar in testimoniis tuis in conspectu regum, et non confundebar.» (Ibid. 46.) [1])

III°. Dei non qualiscunque praesentia, sed tanquam habitantis in domo animae tuae, quae inhabitatio et cohabitatio Dei exigit summam munditiem et ornatum animae tuae, tantae majestatis inquilinum habentis. Nam, ut ait S. Gregorius: *Certe si domum nostram quisquam dives aut praepotens amicus intraret, omni festinantia domus tota mundaretur, ne quid fortasse esset, quod oculos amici intrantis offenderet. Tergat ergo sordes pravi operis, qui Deo praeparat domum mentis* [2]). *Neque enim,* ut scribit S. Isidorus Pelusiota, *aptiorem sibi ac familiariorem sedem ullam, quam puram et castam animam esse constituit. Eoque etiam nomine ait: «Inhabito in eis et inambulabo» (Levit. XXVI, 12.)* [3])

IV°. Dei sessio in anima tua, cui non tantum praesens est intime (uti etiam damnatis est praesens), non tantum inhabitat in justo, sed ita inhabitat, ut elegerit animam justi cujusvis tanquam thronum suum: siquidem anima justi thronus et sedes est sapientiae, in quam se transfert [4]). *Nunc Christus,* inquit S. Augustinus, *habet in nobis sedem, aedificata est sedes ejus in nobis:*

---

[1]) Reg. fusius tract. V. n. 3. [2]) In Evang. hom. XXX. n. 2. [3]) Epistol. l. II. ep. 186. [4]) Cfr. Sap. VII, 27. juxta edit. LXX.

nisi enim sederet in nobis, non nos regeret; si autem ab illo non regeremur, a nobis ipsis praecipitaremur. Sedet ergo in nobis, regnans in nobis [1]). «Cum enim mens reddita fuerit justa, ait S. Chrysostomus, cum exuerit peccata, fit domicilium Dei. Cum autem Deus illam inhabitat, nihil humani residuum est.» Sedet autem in anima tua pro multiplici bono tuo:

1°. Dans tibi quovis momento temporis (quod elegeris pro libitu tuo), facilem accessum ad proponenda ei quaecunque cupis, quod nullus rex concedit ulli sibi caro famulo et cubiculario, arcens certis temporibus omnes a suo accessu.

2°. Sedet in hoc throno, sine intermissione, cogitans de omni bono tuo, et quidem, ut dicitur Jerem. XXIX, 15: *Cogitans cogitationes pacis, et non afflictionis.*

3°. Sedet in hoc throno dans decreta, quibus moti beati spiritus custodiunt te, *ne offendas ad lapidem pedem tuum* [2]), et te instruunt tanquam praeceptores et paedagogi tui, — a S. Basilio [3]), Chrysostomo [4]), Bernardo [5]) sic appellati — ut scias, quae vitare, quae facere debeas.

4°. Sedet dans decreta, per quae coercentur hostes tui, te potentiores et robustiores, qui omnino te debellarent, et in suam captivitatem redigerent, nisi coercerentur a sedente in throno animae tuae.

---

[1]) Enarr. in. Ps. LXXXVIII. serm. II. n. 5. [2]) Ps. XC, 12. [3]) De Spir. S. c. III; contr. Eunom. l. III. [4]) In ep. Coloss. hom. III. [5]) Serm. XII. in *Qui habitat.* n. 3.

Quis, inquit S. Laurentius Justin., *multiplicibus immundorum spirituum agminibus, et ipsorum fraudulentis posset repugnare suggestionibus, atque sustinere impetus, si non ipsorum de Verbi mandato, per angelicas potestates reprimerentur impulsus, virtusque debilitaretur?* [1])

5°. Sedet in hoc throno (sicut ait Concilium Tridentinum) *tanquam caput in membra, et tanquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influens; quae virtus bona eorum opera semper antecedit, comitatur, et subsequitur, et sine qua, nullo pacto Deo grata et meritoria esse possent* [2]). Atque hac ratione omnium bonorum operum tuorum est causa, intime tibi praesens, et perpetuis te beneficiis ditans, tanquam fons eorum in te existens. «Mentem autem habentes, inquit S. Joannes Chrysostomus, magis beneficia quam poenae ad mandatorum attrahunt obedientiam.»

6°. Sedet in hoc throno ornans animam tuam, tanquam pretiosis lapidibus bonorum operum et virtutum actibus, et simul augens in te habitus virtutum — qui, ut ajunt S. Chrysostomus [3]), S. Nyssenus [4]) et S. Bernardus [5]), ornatus sunt animae — productos per actus virtutum ex influxu gratiae divinae. Qui habitus sunt tanquam monilia, multos lapides pretiosos in se habentia, ob vim

---

[1]) De cast. connub. c. XVI. col. 7. [2]) Conc. Trid. Sess. VI. c. 16. [3]) Expos. in Ps. VII. n. 9; in Act. hom. XXV. n. 4. [4]) De opific. hom. c. IV. [5]) In Cantic. serm. XXVII. n. 1.

quam in se habent eliciendi alios actus virtutum, quorum sunt principia et veluti fontes, ex quibus emanant meritoriae virtutum actiones. *Quid sunt virtutes,* inquit S. Bernardus, *nisi margaritae quaedam in sponsae ornatu splendore perpetuo coruscantes? Perpetuo, inquam, quia sedes et fundamentum perpetuitatis. Nec enim perpetuae beataeque vitae omnino locus in anima est, nisi mediis quidem interjectisque virtutibus* [1]). *Hujusmodi virtutum gemmis,* ait S. Laurentius Justin., *fabrefacta est corona Sanctorum* [2]). Porro virtutes hae a Deo in nobis praesente emanantes, non tantum animam ejusque potentias, sed etiam ipsum corpus ornant: tum quia gratia etsi resideat in anima, tamen ut docet S. Thomas, *redundat effectus gratiae ad corpus, dum membra nostra exhibemus arma justitiae Deo* [3]); tum quia quidam habitus virtutum moralium acquisiti, domantes passionum motus, inhaerent ipsis potentiis corporeis, concupiscibili et irascibili, ex quibus passionum motus procedunt, juxta S. Thomae [4]) et theologorum doctrinam. *Masculinae enim virtutes sunt,* — uti eas appellat S. Ambrosius — *quibus mens nostra et caro ipsa firmatur, et ad obeunda impigre munia virtutis erigitur* [5]). Unde bene scripserat Seneca: «Virtus magnum sui decus est, et corpus suum

---

[1]) Loc. cit. n. 3. [2]) Serm. in fest. Omn. Sanct. [3]) 3. q. LXXIX. a. 1. ad 3. [4]) 1. 2. q. LXI. a. 1, 3, 4, 5; q. LXI. a. 2; q. LXXXV. a. 3. [5]) De Cain et Abel l. I. c. X. n. 47.

consecrat» [1]); tum quia exteriorum membrorum compositio recta et decora per virtutem modestiae causatur; tum quia per alias virtutes reguntur et fraenantur sensus et passiones et membra nostra, ne quid per ea fiat cum Dei et proximi offensa ac injuria [2]). Quae omnia sunt beneficia sedentis in throno animae Dei, qui praeterea utitur tuis membris ac sensibus ad opera variarum virtutum. «Sunt enim membra nostri corporis, ut ait S. Justinianus, instrumenta animae, et instrumenta justitiae», *et arma*, ut inquit S. Chrysostomus; unde dicit, *in potestate nostra esse, unumquodque membrorum nostrorum sive malitiae, sive justitiae instrumentum facere* [3]).

7°. Sedet in throno animae tuae Deus, promittens tibi magna praemia in coelis pro benefactis, cujus promissionis indicia certa sunt actus spei supernaturalis, quae nihil aliud est, quam certa exspectatio futurae beatitudinis, proveniens ex Dei gratia et congregatione bonorum operum, a nostro libero arbitrio a Dei gratia excitato et adjuto provenientium, ut theologi docent cum S. Thoma [4]), et Concilium Tridentinum [5]).

8°. Sedet paterne amplexans te per spirituales consolationes et pios affectus, quos in te sentis

---

[1]) Ep. LXVI. §. 2. [2]) Cfr. 2. 2. q. CLX. a. 1, 2; q. CXXXVI. a. 1; q. CXLI. a. 2, 3; q. CXLVI. a. 2. [3]) Ad popul. Antioch. hom. IV. n. 5. [4]) In l. III. dist. XXVI. q. 2. a. 1. ad 3; 2. 2. q. XVII. a. 1. ad 2. [5]) Sess. VI. c. 16.

erga Deum et res divinas. Ex quibus affectibus pullulat odium omnis peccati et nausea rerum terrenarum, nos a divinae familiaritatis amplexibus vel impedientium omnino, vel saltem in eis retardantium.

9°. Sedens in throno animae tuae docet te multa per se ipsum, non tantum per Angelos (uti communiter facit omnibus) illuminans intellectum tuum, circa quaedam particularia, non vulgaria nec communia omnibus, quibus communicat solita auxilia gratiae illuminantis intellectum et accendentis voluntatem ad odium peccati et amorem virtutum. Istae doctrinae sunt lumina quaedam, quae Deus solet vel in meditatione, vel in communione, vel alio tempore infundere quibusdam, non necessaria prorsus ad salutem, (quia sine illis possent salvari) valde tamen excitantia ad actus heroicos virtutum, per quos homo et crescit, et corroboratur magis ac magis in perfectione evangelica et sanctitatis eximiae desideriis ac studiis, quae non in omnibus reperiuntur.

10°. Sedet in throno animae tuae juvans te, et serviens tibi, in omnibus actionibus tuis internis et externis, multo magis, quam ullus servorum, ac rusticorum, aut mancipiorum serviat heris ac dominis suis, etiam in vilissimis quibusvis actionibus ac necessitatibus eorum. Nam, ut ait S. Thomas in Opusc. LXIII. c. II. §. tertium principale, n. 19. *Est ibi aliud inflammans animam ad amandum Deum, scilicet divina humilitas... Nam Deus omnipotens singulis Angelis sanctisque animabus in*

tantum se subjicit, quasi sit servus emptitius singulorum, quilibet vero ipsorum sit Deus suus. Quomodo hoc? Quia sicut causa prima ac universalis concurrit ad omnes et singulas etiam vilissimas actiones tuas, idque magis quam tu: quia, ut nos fides et theologia et philosophia, contra haeresim Pelagii id negantis, docet, Deus est causa principalis omnium et singularum nostrarum actionum, quae a nobis tanquam a causa secundaria primae subordinata, et ab ea penitus dependente procedunt. *In Deo enim,* ut dixit Apostolus, *vivimus et movemur, et sumus* [1]). Talis autem Dei ad singulas nostras actiones concursus est quaedam servitus; proinde exigit a nobis omnia possibilia, quae in ejus cultum et obsequium ac amorem praestare possumus. Si enim rex vel imperator ex amore erga te, per unum tantum mensem ad tuam habitationem veniret, et dum tu verris cubiculum, ipse etiam illud verreret, et ligna pro coquendis tuis cibis ipse instar subcoqui conveheret, convecta finderet, fissa in culinam adferret, et delatis iis ignem ipse accenderet, et accensum perpetuo foveret, nova ligna addendo, et cibos pro te in ollam imponeret prius a se scissos et accomodatos, et ex olla acceptos mundaret et bene coctos ipse tibi comedendos adferret et in tua mensa poneret, et in orbe scinderet, ac ori imponeret fuscinula, et tibi potum scypho tuo, et deinde ori infunderet, in cubiculo vero tuo pennas ipse pro te aptaret, et atramentum tuo atra-

[1]) Act. XVII, 28.

mentario infunderet, et chartam pro tuis usibus ipse adferret, et allatam pulchre plicaret ac levigaret, tuamque pennam scribendo intingeret, et manum ad bene formandos characteres duceret, et lectum tuum quotidie commode sterneret, calceosque tuos ac vestes luto infectas abstergeret, tua indusia et soccos tuos sordidos ipse lavaret; denique quidquid tu facis — solo peccato et imperfectionibus exceptis — ipse in te, per te, tecum, pro tuo commodo et bono faceret: auderesne illum offendere vel contristare in talibus, ut ita dicam obsequiis, tibi ex amore erga te impensis? An non totus te eviscerares, ad tantum imperatorem ac regem ita tibi servientem in omnibus — quomodo nullum unquam mancipium servivit, imo ne quidem servire potest — diu noctuque omni possibili modo colendum et amandum, et nil omittendum, quod ei abs te posset cum ejus gustu et delectatione, praestari? Cum ergo Deus magis tibi in his serviat, non uno mense, sed tota vita tua, et ut scribit Seneca, «ipse humano generi ministret, ubique et omnibus praesto sit»[1]), et tam male eum hactenus tractaveris, tum mala eum offendentia et contristantia committendo, tum multa bona omittendo, tum multa bona tepide, negligenter, et valde imperfecte peragendo: vide quantam merearis poenam et indignationem Dei, in te tibi praesentis, et quam perfectam vivendi rationem deinceps inire et constanter prosequi usque ad mortem debeas, contempto omni humano respectu et tuorum solatiolo-

[1]) Epist. mor. l. XV. ep. 3. §. 47.

rum illecebris. Quod enim Deus Pater S. Catharinae Senensi dixit: »Spiritum sanctum factum esse servitorem nostrum egregium« [1]), hoc de tota Divinitate et omnibus divinis personis — sano modo rem intelligendo — dici potest, eas nobis modo supradicto servire, praesertim cum etiam ad actiones, in quibus Deum gravissime offendunt quam plurimi, concurrat Deus, quoad materiale earum, ut loquuntur theologi; ob quem concursum vere accommodari potest illa Dei exprobratio, suis malis servis per Isaiam Prophetam vulgata: *Servire me fecisti in peccatis tuis, praebuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis* [2]). Sane si imperator vel rex, coactus a te quodammodo violente, per se solum expurgaret calceos tuos sordidissimos, idque libenter faceret tui causa: quia amat te, et quia voluit obedire voluntati tuae, quid pro illo non faceres? quid non patereris sine querela? Cum ergo concurrendo Deus ad actiones tuas, tuis peccatis — quae sunt sordidiora omnibus hujus vitae sordibus — coinquinatas, ita se tuae voluntati obsequentem ad minimum nutum tuum exhibeat, quid te pro amore ejus et facere et pati oporteat? Agnosce et constanter semper exequere.

Denique ut pulchre descripsit S. Laurentius Just. Dei in nobis praesentis beneficia: *Imperat ut Deus, terret ut Dominus, docet ut magister, cohabitat ut frater, nutrit ut mater, protegit ut custos, hortatur ut pater, blanditur ut amicus, amplexatur ut sponsus, illustrat ut veritas, praevenit ut bonitas, se*

---

[1]) Dialog. c. 141. [2]) Isa. XLIII, 24.

manifestat ut lux, loquitur ut Verbum, dulcorat ut sapientia, salutemque praestat ut vita [1]). Quae omnia et beneficia et auxilia Dei intime nobis praesentis exigunt a nobis omnibus, ei ut conemur, per seriam nostri in rebus omnibus renovationem, esse simillima imago, tot ejus adjumentis ad hoc assequendum instructi. Quocirca, uti monet idem Sanctus, *unusquisque ab exterioribus, quantum fas est, feriatus negotiis, maneat apud se, et veluti judex in cathedra sedens, omni qua valet prudentia agnoscere studeat, quales sint cordis sui cogitationes, quales suggestiones, qui insultus, et a quibus qualesve affectiones. Nam qui haec dijudicare ignorat, prorsus vera sui caret notitia, nec potest ad plenum ac sufficienter purgare se, evellere vitia,* [quod ante omnia faciendum est in renovatione nostrae imaginis] *destruere adversariorum* [visibilium et invisibilium] *machinamenta, consuetudines malas dissipare, et noxia a corde desideria disperdere, virtutes vero aedificare atque plantare:* [quippe per quas perficitur renovatio nostri, et inducitur similitudo cum divinis moribus]. *Cum enim virtutes et vitia simul nequeant stare, quemadmodum lux et tenebrae, amarum et dulce, sanitas et infirmitas, mors et vita, necesse est, ut quicunque cupit possidere virtutes, prius vitia superet, et usum eorum a se repellat* [2]). Haec de sessione Dei decupla.

V⁰. Persuadere tibi debet necessitatem renovandi te, modis supradictis, duplex Dei unio tecum: 1⁰

---

[1]) De humil. c. VI. col. 3. [2]) Ibid. versus fin.

Per amorem, juxta illud Apostoli: *Qui adhaeret Domino, unus spiritus cum eo est* [1]). Amantes autem tam magno et puro amore, uti est Dei erga nos, omnia vitant, et abolent, quae possunt offendere amatum valde, et nil omittunt eorum, quae sciunt ab illo valde desiderari in amato. 2° Unio est conformitas voluntatum. Cum autem Deus nos amans *voluntatem timentium se faciat*, ut ipsemet dixit per Prophetam [2]), aequum est, ut tu in omnibus ejus facias voluntatem: haec autem impletur declinando a malo, et faciendo bonum, modis supra explicatis; et in his sita est tui renovatio.

Hinc sequitur, magna caecitate et impudentia et ingratitudine te laborasse, si praeterito tempore, data opera, saepe offendisti Deum, et offendendo, ejus in te imaginem foedasti, et similitudinem minuisti. Ideo sicut mereretur gravissimum supplicium, si quis thronum Salomonis, etsi non in ejus bonum nec ejus causa illi insessuri vel insidentis, sed condemnaturi reos, sordibus foetidis conspurcaret, et multo magis, si id faceret throno ejus tunc, dum vel illi insideret, vel brevi ad eum accessurus esset, magnis eum privilegiis honoraturus: ita multo magis tu mereris poenarum gravissima supplicia, et abominationem in oculis Sanctorum de Dei honore sollicitorum, dum studio, data opera, venialium peccatorum maculis conspurcas animam tuam, quae est thronus Dei, qui, ut dicitur in Evangelio, *est plus quam Salomon* [3]).

---

[1]) 1 Cor. VI, 17. [2]) Ps. CXLIV, 19. [3]) Matth. XII, 42.

Resolve ergo te semel pro semper, immutabiliter: nullo deinceps veniali peccato deliberato maculare hunc Dei thronum, et hanc Dei imaginem, animam scilicet tuam; item nil deliberate omittere eorum, per quae posses aliquem actum virtutis tuo statui et conditioni convenientem facere, et per eum crescere in aliqua virtute, quae, ut dictum est supra [1]), facit nos similes Deo. Quoniam vero hujus renovationis sunt quaedam impedimenta, quae ultra internam nostram malitiam, extrinsece nos ad mala incitant et perducunt, et a bono avertunt: ideo secundo loco fundare te debes in firma resolutione nunc facienda semel pro semper, idque immutabiliter, vitandi et auferendi omnia talia impedimenta.

Existimo, hominibus justis non tantum nocere daemonem per se solum, quantum nocet per homines, praesertim domesticos, excitatos ad danda mala exempla et mala consilia, et ad vituperanda in nobis aliisve pie et religiose acta. Hoc multiplex impedimentum ne tibi post exercitia noceat, nunc debes te contra illud divine armare, tum frequenti imploratione divinorum auxiliorum efficacium, ut tibi adsint in occasionibus, tum firmissima resolutione, nil ob humanos respectus deinceps faciendi contra Dei et Ecclesiae et tuae Congregationis leges, et nil omittendi praescriptum a talibus legibus, vel certe a bonorum exemplis, et consuetudine receptum et quasi commendatum. Hanc resolutionem his con-

---

[1]) c. I. pag. 7.

siderationibus praeter alias poteris divinis adjutus auxiliis concipere, et profunde conceptam immutabiliter deinceps conservare in occasionibus, quae se offerant conspurcandi animae tuae imaginem, et denigrandi similitudinem cum Deo.

CAPUT IV.

Armandus animus in octiduana recollectione contra respectus humanos.

In omni hominum statu, etiam religioso, propter humanos respectus multa mala fiunt et multa bona omittuntur, multa bona, etsi non omittantur, imperfecte peraguntur. Ideo saepe commendare soleo mortificationem et abolitionem humanorum respectuum iis, qui volunt esse viri vere spirituales et perfecti. Ad hoc conducent sequentes considerationes.

I°. Considera, lumine fidei et rationis naturalis te cognoscere, Deum esse praestantiorem, et tibi magis utilem, majorem benefactorem tuum, magisque necessarium omnibus hominibus, non uno tantum vel duobus, et Deum magis esse metuendum, ejusque offensas magis cavendas, quam illas hominum, ob quarum metum multa mala commisisti, et multa bona omisisti. Quanta ergo stultitia est et impudentia et facinus omni supplicio dignum, si malis offendere et contristare Deum, quam aliquem amicum, dum, ne eum offendas et contristes, facis aliquod malum vel omittis bonum? Qua fronte comparebis in judicio particulari Dei, quando tibi id exprobra-

ibt? Quid respondebis? Resolve ergo te ad demonstrandam hac quoque in re fidem tuam, qua credis, Deum esse cunctis hominibus praestantiorem, tibique utiliorem et majorem benefactorem et magis tibi necessarium, proinde majorem habendum a te respectum Dei mala vetantis, bona suadentis, quam tui amici te ad contraria invitantis: praesertim, quia si domino alicui temporali magnae authoritatis servires, ob humanos respectus nil contra ejus praesentis voluntatem faceres. *Quis, quaeso, famulus,* inquit S. Chrysostomus, *antequam domino debitum expleverit ministerium, domui suae unquam providebit? An non igitur absurdum est, inter homines, ubi nudum nomen est dominatus, tantam heris reverentiam exhibere atque obedientiam, verum autem Dominum, non nostrum solum, sed supernarum etiam virtutum, ne eodem quidem quo conservos nostros cultu et honore dignari?* [1]) Detestanda spes humanorum favorum et promotionum ad speciosa, saepe hujus rei est causa. Sed audi S. Augustinum id improbantem: *Tolle ab homine spem, quia maledictus omnis qui spem suam ponit in homine. (Jerem. XVII, 5). Si attendis adhuc hominem, et eum quaeris imitari, et ex illo pendere, adhuc lacte vis nutriri; et fies mammothreptus, quales dicuntur pueri, qui diu sugunt, quod non decet. Etenim lacte uti, tanquam per carnem velle sibi cibum trajici, hoc idem est, per hominem vivere. Idoneus esto ad mensam.....*

[1]) In illud *Paulus vocatus.* serm. IV. n. 1.

Forte utiliter et in malum incidisti, quem bonum putasti, ut in ubere quasi materno amaritudinem invenires, et ea offensione repellereris, et ad cibum validiorem invitareris. Faciunt enim hoc nutrices mammothreptis, ut aliqua amara ponant in papillis suis, quibus offensi parvuli ab ubere resiliant, et ad mensam inhient [1]). Resili ergo a talibus, melioribus te adjunge, non in hominibus, sed in Deo spera, qui adjuvat contemnentes humanos respectus, et eos qui pluris faciunt divina beneficia quam humana; quae cum longe minora sint divinis, et non conferant ea in nos sine divino beneficio et gratia, — omnia enim bona creaturis a Deo concessa sunt et conceduntur — non est Deus ob humana beneficia, benefactoribus nostris primum, deinde per illos nobis collata, offendendus. Nam, ut ait S. Isidorus Pelusiota, *qui iis, a quibus primum beneficio affecti sunt, etiamsi illi minime aequa petant, omnibus tamen in rebus obsecundare satagunt, meo judicio peccant, quamvis, dum iniquae rei participes se praebent, culpam suam altero jure obvelare videantur, nempe quod iis, a quibus beneficium acceperint, gratiam rependant. At vero convenit, ut qui beneficio affectus est, ita beneficium referat, ut in bonis atque honestis rebus, eum, cujus beneficio usus est, remuneretur, non autem in malis operam ipsi navet. Haec enim non remuneratio est, sed injustitia* [2]).

---

[1]) Enarr. in Ps. XXX. serm. II. n. 12. [2]) Ep. l. III. ep. 328.

II°. Considera, si duos haberes amicos, a quorum uno longe majora bona faciliusque te posse consequi certo crederes, et majora mala ab eo citius immissum iri existimares, quam ab altero: procul dubio ob respectum hujus amici, nequaquam offenderes priorem, in his occasionibus, in quibus nunc offendis Deum et contristas. Sane nullus est tam emotae mentis, qui oblata occasione malit offendere regem, quam ejus aurigam: quia ab illo summa sperare potest, non sic ab isto. Cum autem praestantior sit Deus et liberalior, collatus cum rege, quam rex cum suo auriga: quanta improbitas est, eo modo tractare Deum, quo tractares aurigam? Siquidem non dubitas per respectus humanos eo modo offendere Deum et contemnere, quo offenderes et contemneres aurigam, in occasione offendendi regem auriga meliorem, sed viliorem ac pauperiorem auriga, cum Deo collatum. Vere enim est quidam contemptus Dei, dum ob amorem alicujus personae vel rei speratae ab aliqua persona, fit id, quod fieri non debet et est vetitum, et quod Christus non faceret nec omitteret, si haberet eandem occasionem, quae se offert tibi hic et nunc. *Omnia ista*, inquit S. Augustinus, *quae amant homines, quia noluit illa habere Christus, ut non habendo ostenderet contemnenda.... omnes qui amant haec contemnunt illum* [1]). Quam ad rem facit id quod scripsit S. Gregorius Nazianzenus: *Cujus judicium cordatis hominibus pluris faciendum, magisque*

[1]) Enarr. in Ps. XXX. serm. III. n. 5.

curandum est, quam omnium aliorum in unum coactorum. An tu, duos quidem homines, quorum alter acutior et sagacior, alter imperitior et hebetior esset, de eodem negotio in consilium adhibens, haud recta mente praeditus esse videreris, si relicto prudentis consilio, judicium imperiti sequereris? Neque enim Roboam ex eo laudem est consecutus, quod, pro nihilo habita senum sententia, juvenum consiliis paruit. Cum autem Deus et homines inter se expenduntur, judicia hominum potiora duces, quam Dei? Nequaquam certe id facies, si me audias, recteque sentias [1]).

Scribit S. Bonaventura: S. Franciscum, cum nomen vellet dare militiae, audivisse in nocte Dominum familiari sibi allocutione dicentem: »Francisce! quis potest melius facere tibi, dominus an servus? dives an pauper?« Cui cum Franciscus respondisset, quod tam dominus quam dives facere melius potest, intulit statim: »Cur ergo relinquis pro servo Dominum, et pro paupere homine divitem Deum?« Et hoc audito cogitationem de militia abegit, et statum paupertatis elegit [2]). Hoc tibi dici puta a Christo Domino, cum in occasionem violandae alicujus legis vel regulae incidis, et ad id pravo consilio alicujus invitaris: »O N! quis potest melius facere tibi, Dominus an ille amicus? dives an pauper?« et electionem S. Francisci humanos conculcando respectus sectare, amplectendo Dei respectum, qui tibi est, fuitque semper et erit plus quam bonus

---

[1]) Or. XXXVI. (al. XXVII) n. 7. [2]) Legend. c. I.

socius, plus quam benefactor, plus quam omnia alia creata, quae amas. Tales describit S. Augustinus: *Vani homines... aliquando dicunt sibi: Deus ad vitam aeternam necessarius est, ad illam vitam spiritualem; potestates autem istae* [scilicet personae, quarum patrocinia et favores quaeruntur] *debent a nobis coli propter ista temporalia. O inanitas generis humani! Plus amas eas res, propter quas istos vis colere: profecto plus habes istos colere, ut non dicam plus, certe vel tantum. Non vult autem Deus coli cum illis, nec si ipse colatur multo amplius, et illi multo minus. Quid ergo, inquies, et isti non sunt necessarii ad haec? Non. Sed timendum est, ne irati noceant. Non nocebunt, nisi ille permittat. Isti semper habent voluntatem nocendi, nec si placentur, nec si rogentur, desinunt nocere velle: hoc enim malevolentiae illorum proprium est. Ergo quid facies eos colendo, nisi ut illum offendas, quo offenso, in istorum potestatem daberis: ut qui tibi nihil possent facere illo placato, faciant quidquid volunt illo irato. Et ut noveris, quam frustra illos colas, quasi propter temporalia quisquis haec cogitas: omnes qui colunt Neptunum, non naufragaverunt; aut omnes qui blasphemant Neptunum, ad portum non pervenerunt? omnes mulieres colentes Junonem bene pepererunt; aut omnes blasphemantes Junonem male pepererunt? Hinc intelligat charitas vestra, inanes esse homines, qui istos volunt colere, vel propter ista terrena.... Huc accedit, quia et ista ille dat, qui offenditur cum isti coluntur.*

Ergo relinquat nos pater noster et mater nostra: relinquat diabolus, relinquat Babylon civitas: Dominus nos suscipiat consolandos temporalibus, beatificandos aeternis: »Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me: Dominus autem assumpsit me« [1]).

III°. Considera, omnes homines respectu Dei esse minus quid, quam sint lumbrici respectu hominis, ut non semel ait S. Chrysostomus [2]). Sicut ergo deploranda esset illius protervia et stultitia et ingratitudo, qui mallet offendere suum patrem et dominum et benefactorem summum, quam ejus causa lumbricum abominabilem: ita multo scelestior est is, qui ne offendat et contristet suum amicum vel alium hominem, non curat offendere Deum, qui est plus quam pater, plus quam dominus, plus quam benefactor noster. Quocirca fac quod scribit S. Basilius: *Impediri non debet qui Dei voluntatem facit: sive ex Dei praecepto, sive ex ratione mandato pareat: neque faciens debet morem gerere impedientibus, licet sint necessitudine conjuncti, sed in sua sententia persevérare* [3]).

IV°. Considera, longe majora esse bona, quibus te privas faciendo aliquod malum, vel omittendo bonum ob humanos respectus. Privas enim te augmento gratiae, et pro illo tibi post mortem reddendo aeterno praemio in coelis; quae duo bona sunt majora omni humana gratia et omni alio bono

---

[1]) Enarr. in Ps. XXVI. enarr. II. n. 19. [2]) In ep. ad Rom. hom. VIII. et alibi. [3]) Moral. reg. XIX. c. I.

et commodo, quod potest percipi a te ab humana gratia. Hoc et Cicero docet: »Cum, inquit, id quod utile videtur in amicitia, cum eo, quod honestum est comparatur (— uti est favor et gratia hujus amici, collata cum observantia regulae, cum obedientia erga Superiorem, cum Dei gratia quae augetur, dum humanis resistitur respectibus ob Dei reverentiam et amorem —): jaceat utilitatis species, valeat honestas. Cum autem in amicitia, quae honesta non sunt, postulabuntur (— uti sunt transgressiones legum Dei vel Ecclesiae —): religio et fides (— Deo per vota et tot bona proposita data et obligata toties —) anteponatur amicitiae« [1]). Deinde etsi non esset ullum augmentum gratiae, vel spes praemii aeterni, solus gustus et consolatio Dei, quam percipit ex mortificatione humanorum respectuum ejus causa facta, et alter gustus ac delectatio, quam sentit ex fuga illius mali et executione illius boni, quod negligitur ob respectum alterius hominis, satis esse deberet, ad tibi — si ingenuus es et gratus filius ac fidelis servus Dei — immutabiliter persuadendum fugam perpetuam et victoriam omnium humanorum respectuum; quibus succumbentes in Dei causa merito deplorantur a S. Joanne Chrysostomo: *Doleo et lugeo... dum ad hominum opiniones spectamus, et gloriolam ab illis venamur.... Idcirco mihi moeror est et indesinens dolor cordi meo: quia... neque Dei promissiones, neque munerum magnitudo, regni desiderium et amorem nobis ingene-*

[1]) De offic. l. III. c. XI. n. 46.

rant: verum adhuc humi reptantes praeferimus terrena caelestibus, praesentia futuris: et ea quae prius avolant, quam spectentur, iis quae omnibus durant saeculis: et temporaneam voluptatem perpetuae voluptati: brevem hanc praesentis vitae felicitatem aeternis illis et fine carentibus saeculis [1]). Omitto alia bona, quae impediuntur per humanos respectus.

V°. Considera, multo graviora esse m a l a, q u a e i n c u r r i s bona omittendo vel mala faciendo ob humanos respectus, quam sint illa mala, quae metuis et quae, ne incurras offendendo amicum, negligis vel omittis aliqua bona et facis aliqua mala.

P r i m u m malum, quod incurris, est: Dei offensa, et quidem ejus Dei, qui vel in hac vel in altera vita te puniet ob ea, quae facis vel omittis in gratiam hominum, minus curando gratiam ejus. Erubesce et emenda te. Nam nec bestiae audent talia contra eos, a quibus timent aliquid; ideo eos eminus fugiunt.

S e c u n d u m malum est: animae conspurcatio adeo abominabilis, ut si esset aliquis tot virtutibus plenus, quot erat Christi Domini humanitas, et sacrosancta Deipara, et esset maculatus solo unico peccato veniali — quod saepe incurritur, dum nolumus resistere humanis respectibus — post mortem non admitteretur ad videndum Deum facie ad faciem. Pondera hoc, et ut id bene penetres, considera, te omnes illos humanos respectus non curaturum,

[1]) In c. VII. Genes. hom. XXIV. n. 8.

quos modo curas, et ob quos multa mala facis, et multa — vel saltem aliqua — bona omittis, in gratiam alicujus hominis, si certo scires vel crederes, te per id alienaturum a te perpetuo animos omnium Superiorum tuorum, omnium externorum, omnium domesticorum, et certo crederes, omnes istos te viso a te fugituros, et te ad suum non tantum convictum, sed nec ad aspectum quidem admissuros, omnino vinceres ob tanti mali metum omnes humanos respectus. Atqui majus malum est, reddere se indignum, vel ad modicum tempus, divino aspectu, et quidem ob justam indignationem Dei te ab illo arcentis. Cur ergo id non curas?

Tertium malum est: quaedam, hominum more loquendo in S. Scriptura usitato, contristatio Dei, cujus causa sunt etiam venialia peccata, teste Apostolo, qui inter res contristantes Deum, numerat etiam peccata venialia [1]).

Qua de re miram legimus sententiam apud S. Basilium, qui ait, contristari Spiritum sanctum, etiam re, quae vix videtur habere speciem venialis peccati. *In summa*, inquit, *verbum omne, quod non facit ad propositum in Domino negotium, otiosum est. Et tantum est ejusmodi verbi periculum, ut etiamsi bonum sit quod dicitur, si tamen non dirigatur ad fidei aedificationem, non jam propter verbi bonitatem is qui locutus est, effugiat periculum, sed propterea quod verbum non protulerit ad aedificationem, contristet Spiritum sanc-*

[1]) Eph. IV, 30.

tum Dei. Hoc enim aperte docuit Apostolus, his verbis: »Omnis sermo spurcus ex ore vestro non procedat, sed si quis bonus ad aedificationem fidei, ut det gratiam audientibus« (Eph. IV, 29.); quin et illud subjungit: »Et nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis« (v. 30). Contristare autem Spiritum Dei, quantum malum est, quid jam attinet dicere [1]). Si ergo judicio S. Basilii sermo bonus contristat Spiritum S. Dei, ob id solum si non referatur ad finem bonum et ad aedificationem aliorum, quanto magis res per se malae et a legibus vetitae, et domesticam disciplinam perturbantes, et a Superioribus improbatae, Spiritum S. contristant: si fiant ob humanos respectus, ne contristetur homo?

Quartum malum est: proveniens ex humanis respectibus, in occasione venialis peccati committendi non superatis, animae et potentiarum ejus vulneratio. Quodlibet enim peccatum veniale eam vulnerat, uti quodlibet mortale peccatum spiritualiter occidit, uti docent SS. Patres cum S. Thoma [2]). Quodlibet autem tale vulnus est adeo incurabile, ut nec Beatissimae Virginis Mariae, nec omnium Sanctorum merita et preces per se sufficiant ad abolendum etiam unicum et levissimum veniale peccatum, sed omnino opus sit sanguinis Christi, ejus-

---

[1]) Reg. brev. tract. interrog. XXIII. [2]) *Origen.* in Num. hom. VIII; *Basil.* or. in Julit; *August.* de civ. Dei l. XXII. c. 6; *Bern.* in Cantic. serm. LXXXI; *Thom.* 1. 2. q. LXXXV. a. 3.

que vitae, passionis ac mortis meritorum infinitorum applicatione illud curari. Apprehende igitur, quam grave sit malum quodvis etiam minimum veniale peccatum ex humanis respectibus non victis emanans, et agnosce, quam perniciosi sint non victi humani respectus.

Quintum malum est: impedimentum spiritualis profectus, quem, ut docet S. Thomas [1]) et quotidiana experientia, peccata venialia impediunt, fere semper ex non victis humanis respectibus nascentia; et non juvant auxilia efficacia divinae gratiae, quae Deus negare solet ob peccata personis curantibus magis humanam gratiam, quam suam, et non curantibus offendere et contristare Deum, dummodo non offendant et contristent hominem, a quo sperant vel favorem aliquem, vel cujus vexationem, et per eum sui depressionem, timent, ut docent theologi graves et SS. Patres [2]).

Sextum malum est: conscientiae perpetuus remorsus. Nam, ut ait S. Augustinus et S. Gregorius, *inter omnes tribulationes humanae animae nulla est major quam conscientia delictorum* [3]). Haec autem est partus respectuum humanorum. »O tristis, inquit Quintilianus, recordatio! o tormentis

---

[1]) 3. q. LXXXVII. a. 1. ad 1. [2]) *Salas.* 1. 2. q. LXXXVIII. dist. XVI. sect. XXIV. n. 64; *Less.* de statu relig. q. VIII. n. 97, 99; *Arias*, de imit. B. V. c. 24; *Roderic.* I. p. tr. I. c. 10. et SS. Patr. quos ibi citat; *Nigr.* tr. X. p. IV. c. 4; *Lugo.* [3]) *August.* Enarr. in Ps. XLV. n. 3; *Gregor.* in Ps. CXLIII.

omnibus conscientia gravior!« [1]) Ubi autem conscientia remorsibus internis perturbata est, ibi est in rebus divinis ariditas et carentia illorum solatiorum, quae vita religiosa et spiritualis suis sectatoribus adfert et promissa sunt a Deo et a Sanctis, et conceduntur vincentibus humanos respectus. Unde iis laborantibus apte accommodari potest illud dictum a S. Basilio, Episcopo Caesariense, cuidam senatori post mundum relictum negligenter in vita monastica viventi: *Et senatorem perdidisti, et monachum non fecisti* [2]). Contrarium autem experiuntur bene viventes et humanos respectus gloriose calcantes. *Est enim mentis optimae diligentia,* inquit S. Ambrosius, *ut verbo Dei intenta nihil faciat irrationabile, unde tristitiam subeat: ut jugiter actuum suorum bene conscia, laetitiam bonae servet conscientiae. Quod enim bonum, hoc sine timore et sine tristitia est: id est, securitatis plenum et gratiae. Possessio enim justi gratum esse Deo: insipientium autem nullus est gradus. Ideo Isaias, appropinquante bono, ait:* »*Fugiet dolor et tristitia et gemitus*« *(Isa. XXXV, 10). Joannes quoque in Apocalypsi:* »*Et ipse, inquit, Deus cum illis erit, et delebit omnem lacrymam de oculis eorum, et mors non erit amplius, neque luctus, neque clamor, neque dolor ulterius*« *(Apoc. XXI, 3. 4)* [3]).

Septimum malum est: mortis amaritudo

---

[1]) Declam. XII. §. 38. [2]) *Cassian.* Instit. l. VII. c. XIX. [3]) De Abrah. l. II. c. V. n. 22.

et perturbatio, quam incurrunt humanis respectibus laborantes in mortis articulo; et ante illum, metus gravis judicii, remordente conscientia eos acriter. *Fugit impius nemine persequente*, ait Spiritus sanctus. (Prov. XXVIII, 1.) Quod ponderans S. Chrysostomus: *Quomodo*, inquit, *persequente nemine fugit? Intus habet agentem conscientiae accusatorem, et hunc ubique circumfert; et sicut seipsum non potest fugere, sic nec eum, qui intus ipsum agitat; sed quocunque abeat, flagellatur, et vulnus habet immedicabile. At non talis justus; sed qualis, audi: »Justus tanquam leo, inquit, confidit« (Ibid.). Talis erat Helias: vidit igitur regem ad se venientem* [terribiliorem et metuendum magis, quam sint omnes illi, ob quorum respectum multi bona multa omittunt vel facere erubescunt] *et dicente illo: »Ut quid pervertis Israel?«* [quibus similia imperfecti dicere solent iis, qui perfectius vivere conantur] *»Non ego perverto Israel, inquit, sed tu, et domus patris tui« (3 Reg. XVIII, 17, 18). Vere justus ut leo confidit: sicut enim leo in regem, tanquam in vilem catellum insurrexit.... Leonis arma jubarum horror, unguium mucro, et dentes acuti; arma justi sapientia, temperantia, patientia, praesentium contemptus omnium. Haec arma quisquis habet, non homines tantum improbos, sed et ipsas adversarias potestates deridebit* [1]).

E contrario ii, qui ob humanos respectus conscii sunt, se offendisse Deum, saepe torquentur in hora

[1]) Ad pop. Antioch. hom. VIII. n. 2.

mortis justo metu divini judicii, in quo nullus erit misericordiae locus: siquidem aliquando viri sancti hoc reformidabant ad incutiendum terrorem improbis et discolis. *Quis enim,* inquit S. Gregorius Nyssenus, *terribilis judicii Christi recordatus, non statim in conscientia sua quasi convellitur, ac terrore et angore non constringitur? atque etiamsi vitae melius quam deterius actae sibi conscius sit: attamen ad exactam diligentiam et rigorem judicii respiciens, in quo minimae quoque culpae in quaestionem adducuntur, ac prorsus exspectatione terribilium poenarum perhorrescit, ignorans, quisnam sibi judicii exitus et eventus futurus sit* [1]). Si ergo humidum lignum timet ignem, aridum quomodo non timeat?

Octavum malum est: neglectum lucrum innumerabilium bonorum aeternorum, quae non assequentur ii, qui ob humanos respectus omittunt exercitium aliquorum bonorum operum. Bona enim illa opera, quae ob humanos respectus omittuntur vel negliguntur, longe sunt majoris momenti et pretii, quam calix aquae frigidae sitienti datus, tantopere commendatus a Christo et promissa aeterna mercede honoratus [2]). Sane si mercator etiam ditissimus antea certo sciret, se non assecuturum lucrum mille ducatorum omittendo aliquod opus bonum vel simile vel aequale illi operi, quod omittis, ne contristes alium vel ne offendas: nullo modo illud omitteret ob humanos respectus. Cum ergo tu scias et

[1]) In Ps. VI. in med. [2]) Matth. X, 42.

credas, minimum gloriae gradum esse praestantiorem et tibi utiliorem pro aeternitate et pro spe ac inde orto solatio in hac vita, quam sint omnes omnium hominum thesauri, cum hac vita finem habituri, et per se post alteram vitam nulli profuturi: magna dementia est, ob respectus humanos tantorum lucrorum jacturam facere, seu haec lucra non acquirere, quae a quovis justo, quolibet minimo supernaturali opere acquiruntur, *si in Deo sint facta* [1]).

Nonum malum est: incredibilis poenarum purgatorii acerbitas, quibus severissime puniuntur a Deo mala commissa ob humanos rsspectus: sunt enim longe graviora, quam, ceteris paribus, alia mala sine humanis respectibus commissa ob has causas:

1°. Quia ob humanos respectus peccans re ipsa, etsi non assensu explicito — alioquin esset haereticus, si id crederet — ostendit, digniorem esse hominem quam Deum, cui satisfiat: siquidem hunc audet offendere potius quam illum. Ideo enim ob humanos respectus aliquid male faciens, illud facit, ne hominem aliquem contristet vel offendat.

2°. Quia ob humanos respectus peccans re et acto — etsi non assensu explicito — ostendit, se nonf putare Deum esse praesentem, et videre quae ob humanos respectus facit vel omittit. Nam si sciret hic esse prope Superiorem aliquem, quem timet, ex foramine aliquo se aspicientem, certe non auderet id facere vel omittere, quod facit et omittit,

---

[1]) Trid. sess. VI. c. XVI; can. XXXII.

putans se a Superiore suo videri et illum ea resciturum. Simili ergo modo, qui vere hic et nunc putaret, se videri a Deo ob humanos respectus aliquid facientem, et re ipsa, non speculativo assensu, agnosceret Deo id displicere, nil faceret vel omitteret ob humanos respectus. *Quis oro*, inquit S. Laurentius Justinianus, *tam superbus, tantoque insano captus esset amore, ut ante sibi assistentem judicem, ipsius praesumeret jussa contemnere: statuta violare: decreta negligere? Hinc humana quanta sit redargutione digna temeritas, patenter advertitur. Ubique siquidem et absque ulla dubietate praesens est Dominus, singulorum acta intuetur, cordium secreta rimatur, cogitationum, affectionum, et intentionum perlustrat arcana, atque universa sine errore aliquo perspicacius ac excellentius ipsi sunt nota, quam eis, in quorum mente versantur: et nihilominus miseri mortales cupiditatis voluptate illecti, infidelitatisque* [scilicet de Dei praesentia omnia ubique videntis] *caligine obvoluti, minime formidant ipsius divinitatem* [sibi praesentem] *offendere... indignationem incurrere, justitiam provocare, vilipendere legem,* [regulas]*.....sicque impudenter delinquere, ac si....deesset judex, cunctaque facinora remanerent inulta... Hoc totum ex defectu fidei,....ex carentia devotionis,....atque ex obedientiae transgressione accidere, perspicuum est. Da summae veritatis splendore illustratum: da formatae fidei gratia purificatum: da perfectae charitatis nuptiali indumento vestitum: da devotionis sancta suavitate refertum:....da postremo ob-*

temperantem Deo, et coelestia atque superiorum praecepta servantem: et agnosces, hujusmodi mundum spernere, carnis oblectamenta vitare, nec non abhorrere, quod temporaliter arridet, quod est honoris, quod gaudii, quod voluptatis et quod saeculi. Hoc est, non curabit promoveri ad speciosa, habere faventes calculos, sed ut pergit idem Sanctus: *Omnia haec parvi pendit, et arbitratur ut stercora, ut lucrifaciat Christum, in quo cunctis his meliora abundantius, delectabilius, fructuosiusque se percepturum esse non dubitat* [1]): nimirum et in oratione in hac vita, et postea in coelo et aeternitate beata; respectu cujus omnes hominum favores et laudes et solatiola sunt tanquam *stilla situlae, et tanquam momentum staterae*, ut loquitur Isaias Propheta, sic universos homines appellans, *et incolas quasi pulverem exiguum* [2]).

3°. In peccatis ob humanos respectus commissis involvitur implicita quaedam, ut loquimur in scholis, seu virtualis existimatio, quod majora sint illa bona, ob quae sperata offenditur Deus per humanos respectus, quam aeterna praemia in coelis, quae scimus a Deo danda esse iis, qui vincunt humanos respectus, et ob illos non faciunt illa mala, nec omittunt illa bona, quae solent fieri et omitti ab iis, qui humanis respectibus vincuntur.

Ideo et S. Augustinus [3]), et S. Anselmus [4]), et

---

[1]) L. de obedient. c. XXIV. init. [2]) Jerem. XL, 15. [3]) In Enchir. c. XCIX; de cura pro mort. c. I. n. 2. [4]) In I. Cor. III.

S. Gregorius Papa [1]), et S. Thomas [2]), et Cajetanus [3]), et Emanuel Rodericus [4]), expresse docent, et Christus Dominus id dixit S. Gertrudi, justis defunctis non omnibus prodesse suffragia post mortem, sed iis tantum, qui in vita id meruerunt, ut eis post mortem prodessent. Et ita S. Gertrudis Virgo Benedictina, ut scribitur in libris Insinuationum divinae pietatis, Christi jussu editis, et ab eo approbatis, »vidit quandam animam in purgatorio, quae communibus suffragiis Ecclesiae adjuvari non potuit, usque dum aliquantulum purgata, Deo miserante, deponeret illud pondus culparum, — (erant autem inveteratae culpae, ab ea neglectae) — quod sibi obstitit, ut non participaret suffragiis Ecclesiae, quae singulis momentis descendunt super purgandos, velut ros saluberrimus, et unguentum suavitatis, seu potius dulcissimae refectionis« [5]). Qua de re videri potest Emanuel Rodericus in suis quaestionibus regularibus et canonicis [6]).

Prudenter autem rem ponderando, non videntur ii mereri post mortem suffragiorum auxilia, qui dum viverent, pluris faciebant homines, quam Deum, cedendo humanis respectibus, et ut ait loco citato Rodericus, »qui non habebant specialem devotionem erga claves Ecclesiae donativas indulgentia-

---

[1]) Dialog. l. IV. c. 37, 39, 58. [2]) Opusc. LXII. §. Cura Dei de creaturis. [3]) Opusc. t. I. tr. XVI. q. 5. [4]) T. II. Quaest. regul. q. XCVII. a. 3. [5]) Insin. div. piet. l. V. c. 19. [6]) T. II. q. XCVIII. a. 3.

rum, nec erant solliciti ad satisfaciendum pro peccatis suis propriis, nec misericordes ad alios, et solliciti ad suffragandum defunctis«.

Ad confirmationem hujus dicti a magno viro et de omnibus regularibus bene merito ex sanctissimo Ordine S. Francisci, valet id, quod scripsit noster P. Virgilius Ceparius, confessarius extraordinarius et instructor in spiritu S. Mariae Magdalenae de Pazzis, in vita hujus Sanctae Romae impressa: visam esse a S. M. Magdalena de Pazzis quandam monialem sui Ordinis et monasterii, post quindecim horarum purgatorium ivisse ad coelum: et causam tam velocis transitus ad coelum fuisse: »quia in hac vita multum fuerat perpessa et maximi fecerat indulgentias sacras, tanquam merita Jesu Christi [1])«. Et ut ego existimo, qui non erant ferventes in bonis operibus, et qui frequenter peccabant venialiter sine scrupulo, et pluris aestimabant mala et bona temporalia quam aeterna et coelestia, quae ob humanos respectus non curabant, magna haec est causa et materia purgatorii: quia ob leviores respectus humanos fuit in purgatorio sexdecim diebus quaedam monialis Carmelitana Florentina ex eodem monasterio, nimirum: »quia senior in religione existens, aliquando ex certis humanis respectibus omiserat communicare cum Superioribus inspirationes, sibi immisas a Deo pro bono statu monasterii«, uti

---

[1]) Act. Sanctor. Bolland. tom. XIX. 25 Maji; vit. II. c. IX. n. 88. et vit. I. p. I. c. VII. n. 79.

scribitur a Puccino in vita S. Mariae Magdalenae de Pazzis [1]), cui hoc divinitus fuit revelatum. Quanto ergo magis peccata manifeste commissa ob humanos respectus, sunt causa purgatorii? vel si non ob humanos respectus, saltem ob alias aliquas non aeque nobiles ac divinas occupationes negligebant alias, vel non curabant, vel omittebant, nimis solliciti de successu bono earum, ob quem vane speratum, multi spiritualia et divina negligunt vel perfunctorie expediunt. Talibus convenit illud S. Chrysostomi monitum: *Ne de tuis sollicitus sis*, [cura nimia et res spirituales opprimente] *sed illa committe Deo. Nam si tu sollicitus es, ut homo curas; Deus vero ut Deus providebit. Ne ergo de iis sollicitus sis, praestantiora relinquens, alioquin Deus illa minus curabit; ut illa ergo diligenter curet, ipsi soli omnia committe. Si enim relictis spiritualibus, illa tractes, non magnam eorum Deus geret providentiam* [sive sint examina, sive defensio, sive impugnatio thesium, sive praeparatio concionis, sive alia]. *Ut igitur et haec tibi recte composita sint, et sollicitudine omni libereris, haere spiritualibus, saecularia despice* [2]); hoc est, occupationes cum saecularibus communes, quibus ii magis quam spiritualibus ac divinis sese solent impendere. Contemne ergo illa omnia, quae te a rebus spiritualibus avocent; contemne omnes humanos respectus propter respectum Dei, et soleris te praeclaro

---

[1]) Ibid. vit. I. p. I. c. VII. n. 70. [2]) In Matth. hom. LXVIII. al. LXIX. fin.

illo solatio, quod dat S. Chrysostomus alibi despicientibus humanos respectus: *Si Deus*, inquit, *in tanta multitudine inveniat hominem unum quae sibi placita sunt facientem, non despicit: sed sua illum dignatur cura, et tanto majorem illius rationem habet, quanto, cum tot tantique sint, qui ad malum eum trahunt, ipse constantius virtutis viam sectatus est. Id scientes, ad id unum spectemus, quod ipsi placet et efficit, ut ipsius gratiam in nobis conciliemus: neque hominum amicitiae neque consuetudini* [violantium regulas et statuta Ordinis] *ita serviamus, ut virtutis faciamus jacturam; sed Dei tolerantia, prout decet, utamur: et dum adhuc tempus habemus, omnem deponentes ignaviam, virtutem amemus, peccatumque odio habeamus. Nisi enim et ad istam amore et desiderio quodam immenso nos contulerimus, et nequitiam valde oderimus: neque hujus damnum effugere, neque illam amplexari poterimus* [1]). Quocirca, ut etiam monet S. Augustinus: *Tanto amore ardeas regni coelorum, ut omnium resistentium et a proposito revocare volentium linguas contemnas, et persecutiones eorum derideas, dicens: »Quis me separabit a charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Certus sum enim, inquit, quia neque mors, neque vita, neque angelus, neque principatus, neque praesentia, neque futura, neque virtus, neque altitudo, neque profundum, neque*

[1]) In c. V. Genes. hom. XXII. n. 5, 6.

creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quae est in Christo Jesu Domino nostro«. (Rom. VIII, 35, 38, 39) [1]).

Porro notandum est, non tantum displicere Deo humanos respectus, dum propter illos malum aliquod committimus, sed etiam dum omittimus bonum, aliaque quae tunc facere debemus. Ostendit hoc Deus in S. Francisca Romana, valde dilecta famula sua. Nam cum in frequenti mulierum coetu vanus aliquis sermo fuisset illatus, ipsaque eum interturbare humano nimium respectu prohiberetur, maxilla ejus gravi alapa percussa est ab Angelo ipsius custode — qui id alias quoque in similibus defectibus Dei jussu faciebat — audientibus cunctis ictum, non item videntibus percutientem [2]).

CAPUT V.

De excitanda animi applicatione majore ad curam sui et rerum spiritualium per meditationes quotidianas, sed maxime per hanc octiduanam recollectionem.

Praeter impedimentum externum ab hominibus oriri solitum, est aliud aeque frequens, situm in majore applicatione animi ad res naturales, quam supernaturales: ad res humano judicio magis speciosas, minus divino, quam ad res infallibili ac certissimo ve-

---

[1]) Enarr. in Ps. VII. n. 14. [2]) Act. Sanct. Boll. t. VIII. 9 Mart. vit. II. c. III. n. 20.

rissimoque Dei judicio magis speciosas, magis pretiosas, magis necessarias, magis utiles, et magis homine dignas, et quae magis a quavis rationali creatura amari, desiderari, quaeri, retineri, augerique et in horas magis ac magis perfici, aliisque commendari et suaderi deberent, in omni occasione et statu et conditione vitae praesentis. Hinc fit, ut multi diligentius se praeparent ad disputationem, vel defensionem, vel concionem, quam ad meditationem; hinc fit, ut diligentius et avidius et delectabilius legant libros profanos, quam meditentur et legant libros spirituales et sacros; hinc fit, ut non afficiantur taedio, si recreatio protendatur ultra horam: uti afficiuntur, si meditatio casu aliquo sit una hora longior, imo et ipsa hora non sine taedio traducitur; hinc fit, ut libentius quaerant socios de rebus vanis et nugis collocuturos, daturos materiam pro offendendo Deo et pro poenis in purgatorio luendis, quam eos qui de rebus spiritualibus loqui sciuntur et daturi multorum meritorum et coronarum in coelis, per piorum sermonum materiam et per multorum supernaturalium affectuum divinae Majestati acceptissimorum, tunc excitari solitorum, copiam. Deus bone! unde tanta caecitas et inconsideratio nascitur in homine ratione praedito, qui alias in rebus humanis sine difficultate, non habens necessitatem se per considerationes ullas excitandi, semper, semper, semper in cibis eligit illum, qui melior est, idem in vestibus, in domicilio, in supellectili quavis, denique in cura corporis majore, quam habeatur animae, uti cum dolore ponderant

et S. Chrysostomus [1]) et S. Bernardus [2]) et Salvianus [3]), et pro sola anima nostra minus eliguntur, quae ei magis prosunt; et magis quaeruntur ea, quae ei et in hac vita et in altera obsunt? Quocirca pondera hujus rei indignitatem et talium stultitiam extremam, et quantis malis se onerant, et quot bonis se privant, applicando se magis ad minora lucra amanda, quaerenda et tractanda, et resolve te ob Dei respectum, reverentiam et amorem, et ob eximia ejus erga te beneficia accepta et sperata, si non magis, saltem aeque applicare te ad facienda cum omni diligentia in Domino [4]) ea omnia, quae per se et natura sua sunt supernaturalia, et spectant ad immediatum Dei cultum et exercitium supernaturalium virtutum, uti te applicas ad negotia et occupationes naturales studendi, disputandi, colloquendi, humana negotia alia tractandi, domi et foris. Et, si non vis magis amare aurum et quaerere argentum et gemmas, quam plumbum et ferrum, saltem aeque illa ama et quaere, ac ista, ob Dei respectum et amorem, qui id a te exigit, et quidem non ob suum, — quod ei augere et addere non potes — sed ob solum et totale bonum ac commodum tuum. *Cur non anima*, inquit S. Bernardus, *quae immortalis est, similia sibi immortalia appetit et aeterna, ut quod est appareat, et quod facta est vivat? Caeterum, contraria sapit et quaerit, et*

---

[1]) In c. XVIII. Matth. hom. LX. n. 5. [2]) Apol. ad Guil. Abb. c. VIII. [3]) Ad Eccles. l. III. 4) Reg. I. commun.

mortalibus sese degeneri conversatione conformans, immortalitatis candorem, quodam mortiferae consuetudinis piceo colore denigrat. Quidni mortalium appetitus immortalem mortali similem, immortali dissimilem faciet? »Qui tangit picem, ait Sapiens, inquinabitur ab ea« (Eccli. XIII, 1). Fruendo mortalibus mortalitatem se induit, et vestem immortalitatis incidente mortis similitudine decoloravit, non exuit..... Quid tu animae tuae aliam formam, imo deformitatem imprimis alienam? [1]) Hoc non est renovare imaginem, sed deformare. Quocirca in hac collectione juxta monitum S. Isidori Pelusiotae datum Aphthonio, *da operam, ut homines te haec facientem cernant, per quae ad sanctorum virtutes aspiras. Rerum enim hujus vitae parvam ipsi curam gerebant; earum autem, quae discessum ex hac vita sequuntur, permagnam. Atque hunc scopum ob oculos sibi proponentes, ad eum actiones omnes suas dirigebant* [2]).

CAPUT VI.

Per recollectionem octiduanam et per meditationes quotidianas excitandum est ardens desiderium et cura acquirendae perfectae sanctitatis. Proponuntur varia motiva pro hac re.

Postquam te bene fundaveris in duabus rebus supra commemoratis, quae potissimum spectant ad

---

[1]) In Cantic. serm. 82. n. 3. 2) L. III. epist. 276.

primam partem justitiae et renovationis nostrae, sitam in declinando a malo, seu in fugiendo et vitando malum: restat, ut hoc collectionis tempore accendas desiderium tuum ad faciendum bonum.

Nihil aliud expectat Deus, inquit S. Bernardus, *nihil aliud quaerit, nisi ut sedulo et cum desiderio requiratur* [1]) [quaeritur autem per studium virtutum et bonorum operum]. *Si gaudetis ad labores,* inquit idem alibi, *si inoffenso, si indefesso pede curritis viam mandatorum Dei, si quotidie utriusque hominis status recentior est, ad proficiendum et perficiendum, quam ad incipiendum: profecto quaeritis faciem ejus semper* [2]). Porro bonum, quod propter Deum et in Deo, ut inveniatur Deus, quaeri debet, triplex est:

Primum: omne id, quod est saecularibus praescriptum a Deo et sancta Ecclesia, et tuo statui non repugnat, uti est: oratio, horae canonicae, meditatio, examen conscientiae, confessio, communio, missa, lectio spiritualis, studium scientiarum.

Secundum bonum est commune omnibus religiosis, idque multiplex, nimirum: vota, clausura domicilii religiosi, amor cellae, fuga saecularium negotiorum religiosis non convenientium, — (sunt enim alia religiosis quoque necessaria et convenientia, ut procuratio domus et similia) — habitus nullam vanitatem et splendorem irreligiosum praeseferens, victus

[1]) De S. Andrea, serm. II. n. 5. [2]) De divers. serm. IV. de quaerendo Deo (al. de tripl. cohaerentia) n. 2.

pauperibus accommodatus, conversatio spiritualis, modestia exterior saeculari major, et his similia statui religioso, communi omnibus religiosis, convenientia.

Tertium bonum est religiosis praescriptum a regulis et ordinationibus eorum, ac Superiorum voluntate, et a receptis bonis consuetudinibus per Superiores approbatis, commendatum, spectans ad Dei cultum et personarum utilitatem et nostrum multiplex meritum. Ideo hoc collectionis octiduanae tempore per ablutos bona confessione defectus praeteritos, et facto firmo proposito de iis imposterum semper vitandis, accendendus est animus ad benefacienda omnia, cum omni diligentia in Domino, et cum fervore stabili quaecunque ad haec triplicia bona quovis modo referantur. Si enim circa haec triplicia bona, eo quo par est modo, deinceps te occupabis, assequeris quatuor illos fines communes omnibus christianis supra commemoratos, et perfectionem; erisque, loquendo uno verbo, magnus sanctus. Sanctitas enim — quae idem fere est cum perfectione status religiosi et vitae perfectione — nihil aliud est, quam, ut docet S. Dionysius [1]) et S. Chrysostomus, ab omni scelere libera perfectaque, ac omni ex parte incontaminata puritas, praesentia spiritus, ac bonorum operum opulentia[2]).

Haec ergo summa cura procuranda sunt, ut anima

---

[1]) De div. nom. c. XII. [2]) In c. X. ad Hebr. hom. XVIII. n. 5.

nostra instar horti divini quam plurimos producat fructus sanctitatis, ex plantatis virtutum habitibus prodeuntes. »Hominum genus, inquit S. Chrysostomus, est multae indigens curae, majorisque quam plantae. Nam illic quidem natura corporum est et terrae agricolarum manibus cedens, hic vero voluntas, multas committens mutationes: et nunc quidem hoc, nunc autem illud eligens. Velociter enim ad vitium inclinatur.« Quoniam vero in praxi certissimum est, idque ex communi theologorum et philosophorum doctrina scripsit S. P. N. Ignatius: *vires appetitivas solere sequi apprehensivas* [1]; *consuevit enim*, ut ait S. Laurentius Justinianus, *humanus affectus unamquamque rem eo ardentius diligere, eoque sollicitius, ut ipsam assequatur, quaerere, quo clarius quanti ea sit pretii, quantae utilitatis, et quantae cognoverit virtutis* [2]; hinc et Deus ipse, cum movet voluntatem ad aliquod supernaturale opus, prius intellectum hominis lumine suae gratiae illustrat, illaque illustratione — motiva aliqua proponente ad exequendum bonum — accendit voluntatem ad amorem et executionem boni ei propositi: ideo et tu, ut Deo coopereris, et imiteris ejus nos juvandi modum, tum aliis, tum his motivis, poteris divina adjuvante gratia excitare in te ardens desiderium et constans, deinceps bene bona, quae debes, operandi, hoc est, cum omni diligentia et fervore, juxta dictamen rectae rationis, et praescriptum legum tuarum, ac directionem majorum tuorum, et

[1]) Ep. de obed. n. 12. [2]) L. de humil. c. XVII. init.

juxta exempla Sanctorum. Proderunt autem motiva subjungenda ad te excitandum. *Quemadmodum ignis,* inquit S. Chrysostomus, *quanto plura ligna corripit, tanto vehementior efficitur: sic et animi fervor, quanto plures excitat pias cogitationes, tanto fortius armatur adversus alia* [1]).

Primum motivum esse potest: Dei voluntas nobis declarata in Scriptura, qui nos non tantum vult esse bonos qualicunque modo, sed perfectos et sanctos: *Estote vos perfecti sicut et Pater vester coelestis perfectus est* [2]); *Sancti estote, quia ego sanctus sum* [3]); ideoque ipse Deus per Apostolum nos monet: *Estote imitatores Dei* [4]); et: *Haec est voluntas Dei, sanctificatio vestra* [5]); et per dilectum discipulum suum excitat: *Qui justus est, justificetur adhuc; et sanctus, sanctificetur adhuc* [6]); et S. Catharinae Senensi Deus Pater dixit: »Nihil aliud opto ab hominibus, atque requiro, nisi sanctificationem ipsorum, et ad istum finem ex affectu singularis amoris eis omnia permitto et exhibeo« [7]). Alioquin, ut ait S. Augustinus: *Quantumcumque hic profecerimus, nemo dicat: sufficit mihi; justus sum. Qui dixerit, remansit in via, non novit pervenire. Ubi dixerit: sufficit, ibi haesit* [8]).

Alterum motivum est: Dei voluntas aeterna, quae ab aeterno in Deo fuit per totam aeternitatem, antequam esset Scriptura, et antequam esset mundus

---

[1]) In Act. hom. VIII. n. 2. [2]) Matth. V, 48. [3]) Lev. XI, 44; I. Petr. I, 16. [4]) Eph. V, 1. [5]) I. Thess. IV, 3. [6]) Apoc. XXII, 11. [7]) Dial. c. 137. [8]) Enarr. in Ps. LXIX. n. 8.

creatus. *Elegit nos in ipso* [scilicet Christo] *ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate* [1]).

Tertium motivum est: Christi incarnatio hoc fine facta, ut essemus sanctissimi. Quia, ut ait S. Augustinus [2]) et S. Chrysostomus [3]) et S. Nazianzenus [4]) et S. Thomas [5]): *Ideo factus est homo, ut homo fieret Deus;* et ut loquitur S. Anastasius Sinaita, *ut homo fieret Christus, in divinitate et humanitate* [6]); hoc est, ut conetur exprimere quantum fieri potest, in anima et corpore suo illas virtutes, quas habet Deus, et quae resplenduerunt in humanitate Christi Domini, dum in terris viveret. *Deus Verbum*, inquit Clemens Alexandrinus, *in figura hominis nobis est imago, in qua nulla est macula. Ei omnibus viribus tentandum est animam similem efficere* [7]). Ideo mirum non est a S. Chrysostomo scriptum esse, *Angelis meliores, et Archangelis majores nos esse oportere, ut qui iis omnibus simus honore praepositi. »Non angelos apprehendit« (Hebr. II, 16) Deus, sicut dicit* [Paulus] *scribens ad Hebraeos, »sed semen Abrahae«* [8]) scilicet per Incarnationem.

Quartum motivum: Imo etsi Christus non fuisset incarnatus pro nobis, sola creatio nostri ad imaginem et similitudinem Dei hoc ab omnibus,

---

[1]) Eph. I, 4. [2]) Inter op. S. Aug. serm. CXXVIII. al. de temp. XIII. n. 1. [3]) Ad pop. Ant. hom. 62. juxta ed. vet. [4]) Or. XLV. in s. Pasch. n. 9. [5]) Op. XIX. in l. 1. [6]) In Hexaem. l. VII. [7]) Paedag. l. I. c. 2. init. [8]) In ep. ad Eph. hom. III. n. 3.

etiam ethnicis exigit: quia, ut ait S. Leo Papa: *Si fideliter, dilectissimi, atque sapienter creationis nostrae intelligamus exordium, inveniemus hominem ideo ad imaginem Dei conditum, ut imitator sui esset authoris: et hanc esse naturalem nostri generis dignitatem, si in nobis quasi in quodam speculo divinae benignitatis forma resplendeat* [1]).

Quintum motivum: Christi passio et mors tam crudelis exigit a nobis eximiam bonitatis perfectionem et sanctitatem: quia, ut ait Apostolus: *Cum essetis aliquando alienati et inimici sensu in operibus malis, nunc reconciliavit in corpore carnis ejus, per mortem, exhibere vos sanctos et immaculatos et irreprehensibiles coram ipso* [2]); *et: Christus dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea,... ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi; sed ut sit sancta et immaculata* [3]). Quod etsi principaliter de Ecclesia triumphante intelligendum sit, ut putant S. Augustinus [4]) et S. Bernardus [5]) et S. Laurentius Justinianus [6]), tamen de Ecclesia militante id explicant S. Fabianus Papa [7]), et S. Gelasius Papa [8]), et Concilium Toletanum [9]), et Sixtus Papa [10]), et S. Augustinus [11]), S. Hiero-

[1]) Serm. I. de jejun. decim. mens. [2]) Coloss. I, 21. [3]) Eph. V, 25. 27. [4]) Ep. CLXV. ad Bonif. comit. n. 38, sq; ad Donatist. post collat. c. VII n. 10; de perfect. justit. c. XV. n. 35. [5]) In Cantic. serm. XXXVIII. n. 5; de convers. ad Cleric. n. 25. [6]) De discipl. et perf. monast. convers. c. IV. [7]) Ep. III. ad Hilar. [8]) Decr. de libr. apocryph. [9]) c. I. [10]) Ep. unic. c. V. [11]) Inter op. S. Aug. serm. CIV. de sanct. n. 3.

nymus, S. Chrysostomus, et Theophylactus in commentario et Bellarminus [1]). Debet enim Ecclesia militans aemulari propter Christum, sponsum et caput suum, perfectionem et sanctitatem Ecclesiae triumphantis. Et cum illa vocetur in symbolo apostolico: sancta, idque intelligatur ratione principalium membrorum illius, nimirum electorum et pie viventium, ut bene cum aliis explicat noster Bellarminus, et cum Deo dicati homines, ut ait S. Cyprianus, *sint flos ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiae spiritualis, et illustrior portio gregis Christi* [2]), qui est Ecclesia, ii maxime debent conari, ut sint perfecti et sancti, praesertim, qui sunt ex Societate Jesu, cujus finis a sancto ejus Fundatore praescriptus est: saluti et perfectioni propriarum animarum cum divina gratia vacare; et cum eadem impense in salutem et perfectionem proximorum incumbere [3]).

Sextum motivum est ad acquirendam perfectam sanctitatem: Frequens sumptio sanctissimae Eucharistiae, in qua, ut ait Concilium Tridentinum, *Salvator noster divitias divini sui erga homines amoris velut effudit* [4]); et quae vel unica, facta cum vero spiritu et sensu, uti dicebat S. Magdalena de Pazzis, apta est animam perducere ad grandem vitae perfectionem [5]). Continet

---

[1]) De Eccles l. III. c. VIII. §. ult. [2]) De habitu virg. n. III. [3]) Exam. c. I. §. 1, 2; Reg. 2. Summar. [4]) Sess. XIII. c. 2. [5]) Vit. I. p. I. c. X. n. 108.

enim in se fontem omnis sanctitatis et perfectionis Deum, quem S. Dionysius Areopagita, ob sui communicationem, quam animabus bene dispositis facit, appellat *fontaneam Deitatem* [1]), quae, ut dixit S. Chrysostomus, *ita cupit effundere misericordiam, quemadmodum parturiens cupit eniti foetum suum* [2]). Nec tantum Deum continet Eucharistia, sed etiam Christum hominem, vel Christi Domini humanitatem, causam meritoriam et productivam, et ideam omnis perfectionis et sanctitatis, quam ideo merito appellat Clemens Alexandrinus *mamillam Patris* [3]), per quam omnem gratiam a Patre sugimus; ideoque bene appellavit sanctissimam Eucharistiam Fulbertus Carnotensis, *Incarnatae Deitatis vitale pulmentum* [4]), et S. Laurentius Just. *pabulum sanctitatis* [5]). Si ergo in sanctitate perfecta non proficimus, causa ex nobis est, et inter alias una: quia non desideramus ex corde perfectam sanctitatem. Hoc docuit Deus Pater S. Catharinam Senensem: »Si plurimi, inquit, portarent candelas ad accendendum, et una esset ponderis unius unciae, alia duarum, sive sex, vel unius librae, et quamvis, omnibus accensis, in qualibet parva et magna totum lumen accipias, videlicet calorem, colorem, et ipsum lumen, judicabis tamen, quod minus de lumine recipiat ille, qui candelam parvam accendit, quam ille qui majorem. Ita contingit in hoc venerabili Sacramento his, qui recipiunt

---

[1]) De div. nom. c. IV. §. 7. [2]) Or. de S. Philog. [3]) Paedag. l. I. c. VI. [4]) Epist. I. [5]) De instit. et regim. Praelat. c. XXI.

illud, et suas candelas afferunt, videlicet sanctum desiderium, cum quo recipiunt ipsum venerabile Sacramentum. Tantum enim accipitis ex isto lumine, quantum de materia sincerae dilectionis et amoris et igniti desiderii portatis, quamvis totum in veritate recipiatis. Tantum ergo percipitis ex isto lumine, videlicet de gratia, quam in isto venerando Sacramento percipitis, quantum vos cum sancto desiderio disponitis ad recipiendum« [1]). Quocirca in meditationibus quotidianis, praesertim octiduana recollectione, summum desiderium perfectissimae sanctitatis accendendum est, accuratis considerationibus rerum piarum, ut cum regio Propheta, *concalescat cor nostrum intra nos, et in meditationibus nostris exardescat ignis* [2]) sanctorum desideriorum eximiae perfectionis et sanctitatis, cum quo accedentes, etiam ad quandam Dei similitudinem perveniremus. Verus enim ad sacra percipienda accessus, secundum S. Dionysium Areopagitam, id accedentibus tribuit, ut ex communione divina ad Dei similitudinem atque consortium transeant [3]). Hoc autem valde optandum est nostrae animae, creatae ad similitudinem Dei, et Adamo cum hac similitudine infusae, ut docent Theologi [4]), et colligitur ex S. Scriptura [5]).

Septimum motivum: Tot exempla Sanctorum nobis relicta, quorum multi ante suam conversio-

---

[1]) Dialog. c. 110. [2]) Ps. XXXVIII, 4. [3]) De hier.. eccl. c. III. §. 13. [4]) 1. q. XCV. a. 1. [5]) Eccl. VII, 30.

nem non erant meliores nobis, et tamen ad Deum conversi, ad quandam seraphicam perfectionem pervenerunt, non tantum in statu religioso, sed etiam saeculari viventes, inter strepitus aulae et armorum, uti: tot reges, et principes, et Episcopi, et milites, et patres matresque familias, et famuli principum. *Quid est aliud sanctorum vita,* inquit S. Laurentius Just., *quam infirmorum exhortatio, et pugnantium vigor? In theatro quippe christianae militiae omnes constituti sunt. Singuli sua quaeque proponunt fortia gesta; in ipso pueri, puellae, juvenes, virgines, senes, et decrepiti. Omnes fidei oculis inspiciendi sunt, et quanta virtute certaverint considerandi* [1]). Ex consideratione deveniemus ad imitationem. *Debemus,* inquit S. Bernardus, *Sanctis imitationem; quia similes fuere nobis passibiles, et notas nobis fecerunt vias vitae, quas tam infatigabiliter, quam interminabiliter tenuerunt* [2]).

Octavum motivum: Frequentia Dei monita id a nobis exigentis, per exhortationem vicariorum suorum, et per consilia bonorum amicorum, et vero per internas inspirationes; quae sunt allocutiones quaedam Dei nos excitantis tam saepe ad bona bene facienda, et ad quaerendam perfectionem — saltem eo conatu, quo quaerimus res minoris momenti in occupationibus nostris — et ad curandas nostras spirituales infirmitates peccatorum et defectuum, quorum sunt medicinae tam inspiratio-

---

[1]) De casto connub. c. VIII. col. 3. [2]) Serm. XVI. de divers. n. 3.

nes divinae, quam monita Superiorum et spiritualium patrum. *Neque enim*, inquit S. Chrysostomus, *si quis vulnere affectus, pharmacum apponat, nec accurate alliget, sed decidere permittat, et aquae, pulveri, aestui, innumerisque aliis, quae possint ulcus labefactare, exponat, aliquid ille proficiet: id vero non ex remedii imbecillitate, sed ex aegri desidia evenit. Hoc nobis quoque contingere solet, cum divinis oraculis* [internis et externis] *tantillum quidem attendimus: saecularibus vero rebus nos perpetuo damus. Ita namque semen* [divinarum inspirationum] *suffocatur, et omnia fructu carent* [1]).

Nonum motivum est pro religiosis: Status religiosus. Est enim status acquirendae perfectionis; ideo turpissimum est, reliquisse mundum et mundana, et in statu perfectionis ac loco, non vivere perfecte, et perfecta vivendi ratione non proficere in perfectione, sicut turpissimum esset, si scholaris in schola non esset doctior in fine hebdomadae, quam fuerit in principio. Cum autem, ut ait S. Bernardus, in religioso statu debeat esse: *angelica in corpore conversatio, in corde prophetica expectatio* [scilicet spes certa beatitudinis aeternae, bonis religiosis a Christo Domino promissae Matth. XIX, 29.] *in utroque apostolica perfectio* [2]); magno conatu opus est, ut per renovationem nostri, tum in hoc octiduano secessu, tum postea, perfectioni acquirendae nos impendamus et semper crescere in ea conemur.

---

[1]). In Joan. hom. LXXXIV. al. LXXXIII. in fin. [2]) Serm. XXXVII. de divers. n. 8.

Simus e numero earum animarum, quas commendavit S. Joannes Baptista in quadam extasi S. Franciscae Romanae: »Illae, inquit, animae, quae sibi invigilant, attendendo diligenter, ut crescant in gratia, quo plures favores recipiunt a liberali manu Domini, eo magis conantur correspondere operibus, currendo in via perfectionis, non respiciendo unquam ad id quod fecerunt: quia nihili faciunt opera praeterita, procurando crescere in amore Dei per studium semper dandi illi gustum, cui tantopere sunt obligatae propter multitudinem beneficiorum receptorum, actionibus heroicis virtutum. Hoc modo remanet anima spoliata omni timore humano, et quamvis homines, cum quibus conversamur, reputent defectum hoc, quod est virtus, et interpretentur, exempli gratia: solitudinem [il ritiramento] melancholiam et desperationem; fiduciam praesumptionem; impudentiam attendere parum rebus mundi et similia; non ideo deserunt viam inchoatam, quamvis ab illis male tractentur et lacerentur in fama: scientes cui fidunt, et manentes solidi in bono proposito« [1]). Considerentur haec, quia habent solidas doctrinas, si bene et serio ponderentur. Subjunxit postea S. Joannes Baptista haec verba de mundanis, quae quadrant magis religiosis politicis, bona opera aliorum ferventiorum et juxta spiritum religiosum viventium condemnantibus: »Homines mundani condemnant opera virtuosa, quia illa condemnant eorum defectus; et quia non habent tantum

[1]) Vit. l. III. c. 16.

animi, ut eos emendent, et ambulent per angustas semitas christianarum virtutum«.

Decimum motivum: Exemplum saecularium, qui in quovis statu suo, etiam vilissimo, ita sibi attendunt, ut non tantum in fine anni, sed in fine cujusvis hebdomadae, dum rei alienae vel addiscendae, vel comparandae, vel fabricandae dant operam, inveniant se notabiliter profecisse. Sic discipuli opificum, sic scholares in scholis, sic fabri erigentes aedificium, sic peregrini iter facientes, sic pictores pingentes, sic mercatores lucra quaerentes, se profecisse agnoscunt. Vae ergo religiosis, qui in fine hebdomadae inveniunt se vel factos doctiores — dum student — vel acquisivisse majorem rerum notitiam ex conversatione vel lectione privata, et non inveniunt se factos in schola virtutis meliores et sanctiores, sed, proh dolor! saepe pejores post multos annos quam fuerint vel in saeculo, vel in tirocinio, in quo erant magis patientes, magis devoti, magis modesti, magis collecti, magis exemplares, magis resignati, magis ferventes. Quid talibus dicet Deus in particulari judicio? Ideo merito S. Hieronymus et S. Bernardus, saecularium exemplo nos excitant ad eximium studium sanctitatis. Et quidem S. Hieronymus sic loquitur: *Cum in omnibus mundi studiis, profectu non satientur homines, hic tantum* [in statu religioso, de quo ibi scribit] *coepisse sufficiet? Ferventissimi in terrenis, frigidissimi in coelestibus sumus. Et summam in rebus parvis exhibentes alacritatem, ad majora torpescimus. Considerare pudet, quantus sit ferror in saeculo,*

qua cura singula quaeque studia hominum quotidie ad perfectiora nitantur. Litterarum ardor nulla prorsus aetate exstinguitur, imo (ut saecularis auctoris utar sententia) ipsa magis aetate inflammatur. Divitiarum amor insatiabilis est, expleri nescit honorum cupido. Celerem habiturae res finem, sine fine quaeruntur. Nos divinam sapientiam, coelestes divitias, immortales honores pigra quadam dissimulatione negligimus: et spirituales divitias, aut ne attingimus quidem, aut si leviter degustaverimus, continuo nos putamus esse satiatos [1]).

Sanctus vero Bernardus sic hanc rem ponderat: *Utinam, fratres, sic nos essemus cupidi gratiae spiritualis, quemadmodum saeculares homines pecuniae temporalis! Debuimus certe, et multum debuimus vincere in bono malum, et tanto amplius desiderare, quanto pretiosius est, quod desideramus: sed utinam vel aequales esse possimus! Magna enim confusio, magna valde, quod ardentius illi perniciosa desiderant, quam nos utilia: citius illi ad mortem properant, quam nos ad vitam. Quanto enim desiderio pecuniae crucietur avarus, quanto gloriae appetitu ambitiosus exaestuet, quam violenter denique sua trahat quemque voluptas, quis explicet? Videas certe eos quidquid adepti sunt parvi pendere, non attendere quanto labore et desiderio ea vix tandem consequi potuere: quoniam*

---

[1]) Inter op. suppos. ep. I. Pelagii ad Demetriad. c. XI.

vilescunt eis omnia, prae desiderio minoris forte rei, quam alteri coeperint invidere[1]. *Ego dico,* inquit S. Laurentius Just., *quod saeculares viri solum transitoria bona sectantes, surgent in judicio cum servis Dei, ex sua cordis ambitione, redargutione illos esse dignos ostendent, tanquam sollicitudine et affectione inferiores se. Nec immerito. Isti namque sibi ipsis minime parcentes, se exponunt periculis, se laboribus macerant, seque, quod est formidolosius, gehennae faciunt filios, ut humanis attollantur honoribus, caeteros praecellant laudibus, momentaneis fruantur voluptatibus, atque terrenis ditescant opibus. Illi vero coeleste vocantur ad regnum, et pene adire recusant; pro acquirendis virtutibus exhortantur ad pugnam, et ut plurimum pati formidant; spiritualibus et corporalibus a Domino sine intervallo reficiuntur alimentis, nihilominus frequentissime interiori exteriorique exercitatione languescunt. Hinc est, quod tam pauci reperiantur temporibus nostris, qui alacri animo et spontanea servitute valeant, imo velint subesse aliis, carnem vigiliis, jejuniis et fatigationibus affligere, se a fabulis, jocis, et infructuosis conversationibus subducere,* [forte etiam perniciosis] *cor e vanis et perniciosis cogitationibus, mentemque a terrenis ac immoderatis creaturarum abdicare affectionibus, vacare orationi, lectioni insistere, cohibere lingua, et virtutum studio se perseveranti intentione* [pondera singula verba, nam vim habent

[1]) Serm. XXXVI. de divers. n. 3.

et tepidum describunt] *totaliter accommodare..... Hi nisi sibi ipsis virili concertatione vim fecerint, repente tepescunt, inchoata opera laudabilia intermittunt, paulatimque contemnunt, conceptum virtutis rigorem exercere negligunt, corporali fatigationi indulgent, atque mentis custodiae incumbere minime curant. Velociori siquidem gressu, quam ascenderant, descendunt tales; et fiunt, si non divina illis auxilium praestet clementia, eorum novissima pejora prioribus, meliusque illis fuerat, juxta apostolicam sententiam, (II. Petr. II., 21.) viam veritatis non agnovisse, ac virtutum arduum iter non initiasse, quam post agnitum et inchoatum retrorsum ire. De talibus, quorum acta patientiae radices non habent, Dominus testatur: »quia ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt« (Luc. VIII, 14.).... Debuerant etiam se mortis exponere periculo, plurisque animam suam aestimare, quam corpus, ne susceptum sponte imperfectum omitterent opus Dei, memores Salvatoris nostri perhibentis:« Nemo mittens manum ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei. (Luc. IX, 62)«* [1]).

Quocirca: *Pudeat nos,* inquit idem, *ab hujus saeculi amatoribus superari, qui ut sua vota perficiant, suisque superioribus famulentur, exponunt laeto animo corpus periculis, et animam perditioni. Nempe consurgent tales nobiscum in judicio, et merito condemnabunt nos, qui secundum*

[1]) L. de obedient. c. XXI. init.

faciem, et non in spiritu militamus. Deducent namque ad publicum, et objicient nobis, quos perpessi sunt labores quotidianos, animi angustias, inanem spem, et diuturna certamina. Quamobrem evigilemus corde et mentis aciem erigamus ad Dominum Deum nostrum, poscentes humiliter clementiam ejus, quatenus solita miseratione transacta dignetur nostra indulgere facinora, conferre gratiam, dominantem nobis propulsare inertiam; ut tanquam aquila, mente et spiritu renovati, exhibeamus illi de cetero voluntariam servitutem atque obedientiam veram charitatis flamma succensam, intentioni rectae innixam, prudentiae luce perfusam, constantiae virtute decoratam, nec non perseverantiae bono circumseptam. Equidem si talis fuerit, erit procul dubio acceptabile sacrificium, praecipuum munus, immaculata hostia, oblatio sancta, victima salutaris, atque thymiama fragrantissimum [1]). Quapropter, ut monet S. Augustinus: *Purga amorem tuum: aquam fluentem in cloacam, converte ad hortum. Quales impetus habebat ad mundum, talem habeat ad artificem mundi* [2]).

Undecimum motivum: Paucitas amicorum Dei in statu saeculari, et ingens numerus Deum in omni fere statu gravissime offendentium, et offensas quotidie iterantium. O quam pauci sunt saeculares, qui sine peccato mortali vivunt! Scit Deus, sciunt confessarii, sciunt domestici, cum quibus vivunt.

Hoc deplorans S. Bernardus, sic scripsit ad

---

[1]) Ibid. c. IX. in fin. [2]) Enarr. in Ps. XXXI. n. 5.

Papam Eugenium III, suum olim discipulum: *Leva oculos considerationis tuae, et vide regiones, si non sunt magis siccae ad ignem, quam albae ad messem. Quam multae, quas putaveras fruges, diligenter inspectae, vepres potius apparebunt? Immo ne vepres quidem: annosae et veternosae arbores sunt, sed non fructiferae; nisi forte glandium et siliquarum, quas porci manducant* [1]). In hunc sensum Spiritus S. dixit B. Angelae de Fulginio: »Si esset hodie aliqua persona, quae me plus diligeret, quam S. Franciscus, adhuc sibi plus facerem. Dicebat autem mihi, quod pauci sunt hodie boni, et quod erat pauca fides, et conquerebatur dicens: Tantus, inquiebat, est amor, quem habeo animae, quae diligit me sine malitia, quod modo, si esset aliqua, quae perfecte me diligeret, majorem gratiam facerem ei, quam alias fecerim Sanctis, de quibus in tempore praeterito multa magna referuntur, quae Deus fecit eis. Et non est aliquis, qui possit se excusare de isto amore, quia omnis persona potest amare Deum: et ipse non requirit aliud, nisi ut anima requirat et diligat eum« [2]). Quocirca modestissimus S. Thomas, Doctor vita et doctrina angelicus, dolens scripsit: *Heu, quantas injurias dissimulat Deus a paganis, Judaeis, haereticis et falsis christianis, qui etiam ab his, qui christiani videntur et boni christiani, immo etiam religiosi, et in sanctis religionibus constituti tanquam ini-*

---

[1]) De consider. l. II. c. VI. n. 12. [2]) Tom. I. Act. Sanctor. Boll. 4. Januar. Vit. c. III. n. 49.

micus continue impugnatur. Sub veste enim religiosa, diversa crimina infidelium committere non verentur. Et glossa dicit super Matthaeum, quod detestabilior est, qui sub nomine fideli agit opera infidelium, quam aperte paganus [1]).

Ideo merito olim Christus Dominus jussit per S. Brigittam dici cuidam Archiepiscopo: »Ab omnibus neglectus sum, ab omnibus expulsus sum, quia me nemo in sua dilectione habere desiderat. Inquire, ubi sunt defensores fidei; — loquitur de militibus, qui contra paganos pugnant — ubi inveniuntur qui inimicos Dei expugnent; ubi sunt qui vitam suam ponant pro Domino suo. Inquire haec diligenter. et invenies valde paucos amicos meos« [2]). Et alio in loco eadem Sancta dixit: »Totus mundus videtur mihi superbiae et cupiditatis atque luxuriae frigore tam duriter jam coopertus existere, quod heu! paucissimi sunt, e quorum verbis atque operibus intelligi possit, Dei perfectam charitatem in ipsorum cordibus habitare« [3]).

Et quod antea deplorans S. Macarius Aegyptius scriptum reliquit, hoc de nostri temporis statu verissime dici potest: *Ecce mundus universus ambulat in terra, et negotia peragit: at....nihil quod gratum sit Deo cogitationibus moliuntur. Perinde ac si sint diversoria ac lupanaria, et loca, ubi omnia incompositis moribus ac intemperanter geruntur* [4]).

---

[1]) Opusc. LXIII. S. Thom. adscript. c. 2. §. *tertium principale.* n. 19. [2]) Revel. extrav. c. 51. [3]) Revel. l. IV. c. 79. [4]) Hom. XII. n. 2.

Hinc Christus Dominus questus est coram S. Brigitta: »Nunc ex toto oblitus sum et neglectus et contemptus et tanquam rex a priore regno expulsus, in cujus loco latro pessimus electus est et honoratus; quem homo, quem redemi, super me exaltat, et ei fidem suam dedit; qui vere latro est, quia animam hominis, quam sanguine meo redemi, ipse mala suggerendo et falsa pollicitando ad se rapit« [1]). Et quidem in tanto numero, ut Christus Dominus eidem dixerit, plures animas quotidie descendere in infernum, quam sit arena maris dinumerata et lapilli riparum [2]). Verissime nunc dici potest illud Dei nomine, quod olim Deus dixit per Prophetam Michaeam: *Vae mihi, quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiae! non est botrus ad comedendum* [3]); et: *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum* [4]), hoc est, paucissimi. Hanc ob causam S. Catharina Senensis, etsi valde desideraret Dei gloriam in se et aliis vigere et propagari, tamen amplius et ferventius illi crevit, postquam ei monstrata fuit a prima veritate necessitas mundi, et in quanta esset offensa Dei [5]). Imo etiam inter bonos, qui vitant offensas Dei graves, quam pauci sunt illi, qui Deo perfecte serviant, et eum valde ament. Hinc coram B. Angela de Fulginio conquerebatur Spiritus S., quod isto tempore tam paucas personas inveniebat, in quibus posset ponere gratiam suam; et dicebat: »quod modo multo

[1]) Revel. l. I. c. 1. [2]) Revel. l. II. c. 16. [3]) VII, 1. [4]) Ps. XIII, 3. [5]) Dialog. c. 2.

majorem gratiam faceret illis, quos inveniret modo diligentes se, quam fecerit adhuc aliis Sanctis, qui fuerunt hactenus« [1]).

Hoc ipso motivo se excitabat S. noster Aloysius Gonzaga - - uti post mortem ejus inventum est scriptum ab eo — ad sancte vivendum: »Viri, inquit, religiosi plerique et ecclesiastici vocationis oblivisciuntur; quomodo ulterius feret Dominus tantum regni sui detrimentum? Fideles magna tepiditate tota vita quasi adimunt Deo gloriam suam, et quis eam restaurabit? Vah saecularibus, qui poenitentiam differunt ad mortis articulum. Vah etiam religiosis, qui usque ad eundem articulum dormierunt. His quasi excitamentis excutienda est somnolentia, et renovandum propositum poenitentiae, ac Deo recte et immobiliter serviendi«.

Ideo hoc sciens S. P. N. Ignatius, adhuc saecularis existens, dum in oratione elevaretur a terra in altum, divinoque circumdatus splendore ita sublimis in aere oraret, in has voces prorumpere auditus est: *O Domine! o amor meus! o deliciae cordis mei!* [et his similes amoris affectus verbis ignitis exprimens]. *O si te homines nossent, nunquam te offenderent* [2]). Ideo tactus dolore cordis intrinsecus Societatem nostram instituit, ut minueret inter infideles et fideles Dei inimicorum numerum, et justorum sanctorumque augeret. Et haec quoque res maxime movit S. Teresiam ad fundanda monasteria etiam monialium, »ut cum tam multi essent, qui of-

[1]) Loc. cit. n. 50. [2]) Vit. ital. rom.

fendunt Deum, multiplicarentur animae, quae ei perfecte servirent, cumque placarent« [1]). Vere enim placatur etiam ab una sancta anima Deus, et quodammodo alleviatur ejus dolor — loquendo humano more — conceptus ob tot peccata aliorum. Declaravit hoc pulchre Christus Dominus de S. Gertrude, qui cuidam virgini devotae de illa dixit: »Tanta hujus animae — S. Gertrudis — delectatione afficior, ut saepenumero, dum ab aliis hominibus offendor, me ipsum in ea quieturus insinuem, atque pressuram cordis alianve molestiam tunc corporis eidem destinem; quam dum tanta, ut solet, gratiarum actione suscipit, tanta suffert humilitate ac patientia, tanta denique illa devotione in unione passionis meae offert mihi, omnino me reddit placatum, facitque, ut innumeris saepe hominibus illius amore parcam« [2]).

Duodecimum motivum: Exemplum hominum improborum, qui diabolo adeo diligenter et ferventer serviunt, movere nos debet, ut saltem ea, sicut illi diabolo, diligentia et fervore, ita nos Deo serviamus in studio virtutum. *Quis,* inquit S. Chrysostomus, *est adeo sensus doloris expers, ut non doleat, cum in ea, quae ad diabolum pertinent, plus studii conferri cernat? Atqui nulla spes veniae nobis vel excusationis reliqua esset, si vel aequale studium conferretur; cum autem etiam longe superet, quis nobis defensionis locus relin-*

---

[1]) Iter perfect. c. 1. [2]) Insin. div. piet. l. I. c. 4.

quetur? [1]) Maxime cum Deus vitam et sanguinem profuderit, serviendo, ut ita dicam, nobis ingratis. *Qua nos excusatione purgabimus*, ait S. Cyprianus, *qui diaboli servis — munera ei pretiosa et grandia, et nimio ac longo labore quaesita, sumptuosissimis apparatibus, comparantibus, — minores sumus, ut Christo pro pretio passionis et sanguinis vicem nec in modicis rependamus?* [2]) Cum tamen, ut monet S. Gregorius Papa, *tanto Deus ab hominibus dignius honorandus sit, quanto pro hominibus et indigna suscepit* [3]). Quocirca bene P. Balthasar Alvarez scribens ad quendam nobilem virum, qui a statu virtutis, quam assecutus fuerat, et de die in diem tergiversabatur ad Deum converti, sic scribit inter alia: »Quis te fascinavit, frater, non obedire veritati? ambulabas bene, currebas bene; quis te impedivit veritati non obedire? quando, quaeso, diabolus sanguinem suum in tui gratiam effudit, ut tantum amorem in eum conceperis?« [4]) Vere enim concipiunt amorem erga diabolum ii, qui mala, quae diabolo placent, libentius faciunt, quam quae placent Deo, et bona omittunt, quod displicet Deo et placet diabolo, vel qui bona eo modo faciunt, qui placet diabolo et displicet Deo.

Decimumtertium motivum est: Mira Dei promptitudo et inclinatio ad nos perfectos faciendos. Nam, ut scripsit S. P. N. Ignatius in epistola ad

[1]) Serm. in inscript. altar. I. n. 1. [2]) De opere et eleem. n. 22. 23. [3]) In Evang. hom. VI. n. 1. [4]) Vit. c. 34. pag. 395.

Scholasticos Colleg. Conimbric.: *Faxit Divina Majestas, ut suus ille fons divinae misericordiae largiori in dies perennitate scaturiat, ut quod in vobis clementer inchoavit, assidua accessione cumuloque perficiat! Nec vero dubito, quin summa ejus bonitas, immensus amor caritasque paterna, quae ad perfectionem nobis sponte largiendam, quam nos ad eandem vestigandam paratior est, ad egregios exitus sua coepta perducat: quod si secus haberet, aeternus ejus Filius ad eam perfectionem, quae a sola ipsius benignitate dependet, nequaquam in haec verba nos hortatus fuisset: »Estote perfecti, sicut Pater vester coelestis perfectus est« (Matth. V, 48); ut, quod ad illum attinet, certum omnino sit, illum semper esse ad liberalitatem paratum: modo altam in nobis profundamque humilitatem, et dignum sua gratia desiderium inveniat, et bene acceptis beneficiis uti, et in impigra gratiae cooperatione versari incessanter nos videat*[1]). Sic et S. Thomas scripserat, *Deum creaturis communicare, quidquid communicabile et ab eis receptibile est, etiam singulis momentis communicat, cum habilitatem invenit*[2]). Invenit autem eam, si adsint in nobis ea, quae S. Ignatius paulo ante commemoraverat.

Decimumquartum motivum: Multitudo tepidorum et valde negligenter Deo servientium in statu religioso. Deploravit hanc rem in religiosis

---

[1]) De religiosa perfect. et zelo anim. n. 1. [2]) Opusc. LXII. S. Thom. adscr. §. *Liberalitas Dei.*

Ordinibus Deus Pater, teste S. Catharina Senensi [1]), et beatissima Virgo Maria, teste S. Brigitta [2]), deploravit S. Bernardus [3]), S. Justinianus [4]), S. Bonaventura [5]), Abbas Trithemius [6]). An autem tu sis ex eorum numero, qui merito deplorandi sunt, agnosces ex conditionibus malorum religiosorum, quos duo Sancti, alias mellei et suavissimi, amare describunt, nimirum S. Bernardus et S. Laur. Justinianus. Quorum primus sic de talibus scribit: *Hinc mihi, fratres, tristitia magna et dolor continuus est cordi meo, quod nonnullos tam pronos ad levitatem, ad risum, ad otiosa et ad scurrilia verba tam faciles video: ut pertimescam valde, ne forte plus quam expediat divinae misericordiae sint immemores, et ingrati tam multis beneficiis suis aliquando deserantur a gratia, quam non ut grati venerantur* [7]). Et alio loco sic malos describit religiosos, quorum an sis ex classe, dum haec leges, perpende, et te renovare stude: *Videas illos ambulare seorsum,* [fugientes conversationem meliorum et oculos Superiorum] *convenire sibi et sedere pariter, moxque laxare procaces linguas in detestandum susurrium,* [quo denigratio famae alienae, et pie ab aliis ac religiose fieri et dici solita irridentur].... *In-*

---

[1]) Dial. c. 158. [2]) Revel. l. III. c. 17. 18. [3]) Serm. II. pro Dom. II. post Pent.; in Cantic. serm. XXIV; serm. VII. in Ps. XC.; serm. II. de S. Andr.; serm. III. in dedic. Eccl.; serm. I. in Pasch.; serm. in obitu Humberti. [4]) De compunct. et complanctu. col. 16. [5]) III. p. opusc. [6]) De statu et ruina monast. ordin. [7]) Serm. II. pro Dom. II. p. Pent. n. 1.

eunt familiaritatem ad maledicendum, [quod fit per detractiones et colloquia irreligiosa] *concordes ad discordiam* [quam pariunt alienando suos socios ab aliorum conversatione].... *Convenientibus sic in unum,* [sive in cubiculis, sive in locis recreationum] *non est dominicam coenam manducare, sed magis propinare et bibere calicem daemoniorum; dum importantibus linguis aliorum perditionis virus, aliorum aures intrantem mortem libenter excipiunt. Sic quippe juxta Prophetam, »intrat mors per fenestras nostras« (Jerem. IX, 21), cum putrientes auribus et oribus, lethale poculum detractionis invicem nobis ministrare contendimus. Non veniat anima mea in concilio detrahentium, quoniam Deus odit eos, dicente Apostolo: »Detractores Deo odibiles« (Rom. I, 30)* [1]).

Porro S. Laurentius Justin. sic tepidos et negligentes religiosos de suo profectu minime sollicitos, et saeculari modo in Christi domo et schola viventes describit: *Relaxant oris sui custodiam, morum deserunt gravitatem, mentem incultam perniciosa otiositate relinquunt, virtutum habitus et perfectionis culmen obtinere se posse diffidunt. Sat esse arbitrantur, si perseverent in claustro, si delicta priora non repetant, si aliena non rapiant, si in aperto opere mortaliter non delinquant. Quamobrem orationem negligunt, abhorrent pugnam,* [id est, sui victoriam in mortificandis repugnantiis et sui confusione] *fugiunt sanctitatem,* [scilicet illa

[1]) In Cantic. serm. XXIV. n. 3.

opera, quae disponunt ad sanctitatem, uti sunt colloquia spiritualia, observatio silentii, conversatio cum melioribus, vel magis spiritualibus, et regulas melius servantibus] *interdum iis prioribus* [qui scilicet non perseverant in religione, et ad peccata priora redeunt, de quibus paulo ante locutus fuerat] *deteriores sunt... Nempe ignaviae torpore compressi, et charitate frigidi, et in spirituali proelio sunt infirmi. Nullo virtutis adversariis* [a quibus impediuntur in sanctitatis studiis et religiosa disciplina exacte servanda] *repugnant zelo, quoniam nec gehennae metum, neque aeternae vitae degustant praemium, sola ducuntur consuetudine, et plerumque necessitate* [ne puniantur a Superioribus] *atque sui rubore compulsi, tam illa quae ad divinum cultum pertinent, quam illa, quae utilitatibus inserviunt proximorum, remisso peragunt corde... Detestandum* [nota Sancti judicium de talibus] *prorsus est hoc hominum genus, qui sanctitatis praeferentes imaginem* [ratione status sancti, quem elegerunt] *nec Deo militant,* [quia sancte et juxta regulas sui Ordinis non vivunt] *nec mundi blandimenta perquirunt: spiritualis pugnae ingressi sunt stadium, christianae militiae gestant insignia, corpore currunt cum ceteris, cum revera strenuis bellatoribus sint longe dissimiles;* [iis qui se vincunt et regulas servant] *securitate* [qua sibi non faciunt scrupulos, etsi irreligiose conversentur] *torpescunt, suique custodiam deserunt, arbitrantes pacem, ubi non est pax* [1]).

[1]) De interiori conflict. c. XI.

Quomodo autem tepidi et mali religiosi ad hunc pessimum statum devolvantur, docuit S. Franciscam Romanam S. Joannes Baptista in quadam extasi: »Quando in anima cessat sollicitudo dandi gustum Domino suo, paulatim refrigescit et deficit in illa primus fervor; et cum sit negligens in operibus piis, tandem cadit in ariditatem et duritiam grandem« [1]). Tum, ut scribit S. Isidorus Pelusiota: *Mortalium plerique acerrima rerum terrenarum cupiditate incitantur, honestatem autem ac virtutem minus curant, quia partim ea, quae specie tenus sunt, magis quam ea quae sunt, aucupantur: partim id quod statim utile est, eo quod aliquanto postea utilitatem allaturum est, prius atque antiquius habent: partim rerum judicium corruptum habent.... At virtute praediti, tum ipsam per se virtutem colunt, tum futuras coronas animo et cogitatione complectentes, eam consectantur* [2]).

Decimumquintum motivum est proprium pro nobis: Finis propter quem Societatem ingressi sumus. Cum enim finis Societatis sit, saluti et perfectioni propriarum animarum cum divina gratia vacare, et cum eadem impense [hispanice est intensamente] in salutem et perfectionem proximorum incumbere [3]): clarum est, omnes nos debere acquirendae perfectioni toto conatu nostro vacare, ut nostrum finem consequamur. *Nam si miserum*

[1]) Vit. l. III. c. 16. [2]) L. III. epist. 251. [3]) Exam. c. I. §. 2; Reg. 2. Summar.

est, ut ait Joannes Abbas apud Cassianum, *cujuslibet artis et studii disciplinam quempiam profiteri, et ad perfectionem ejus minime pervenire* [1]): multo magis miserum est, si nos ad perfectionem non perveniamus, qui habemus peculiari modo nostrae vocationis finem propositum, ipsam perfectionem; hoc est, omnium virtutum collectionem, ut Deus Pater dixit S. Catharinae Senensi [2]), et Sancti [3]) docent, inter quos sic scribit S. Bernardus: *Ipsa est perfectio et vera hominis sapientia, omnes in se amplectens et continens virtutes, non aliunde collectas, sed naturaliter* [id est per modum naturae, firmiter, constanter] *insitas sibi, ad similitudinem illam Dei, qua est ipse quidquid est: cum sicut Deus est id quod est, sic circa bonum virtutis, habitus bonae voluntatis in bonam mentem sic consolidatus et affectus est, ut ex ardentissima boni incommutabilis adhaesione, nullatenus videatur jam posse mutari ab eo quod est.* [4])

Talis autem perfectio ipsius perfectionis assequendae, cum summa sit et plane divina, omni conatu procuranda est, et quidem ita, ne quidquam desit ad illam complendam perfecte requisitum. Nam S. P. N. Ignatius non sanctitatem voluit finem esse Societatis, sed perfectionem, quae plura exigit

---

[1]) Collat. XIX. c. 5. fin. [2]) Dial. c. 9. [3]) *Cyrill. Al.* in c. LXII. Isai; *Gregor.* Moral. l. I. c. 33; *Isid. Pel.* l. I. ep. 403; *Laur. Just.* de perfect. grad. c. V. [4]) *Inter spuria S. Bernardi.* Epist. ad fratr. de monte Dei l. II. c. III. n. 20.

a nobis, quam sanctitas. *Perfectum enim*, ut SS. PP. [1]) et philosophi morales [2]) ac theologi [3]) docent, *est id, cui nihil deest*. Et S. Chrysostomus ponderans illa verba Genes. VI. 9. Noe vir justus atque perfectus: *Omnia*, inquit, *implevit, quaecunque facere convenit eum, qui virtutem amplexatur: illud enim significat:* Perfectus; *nihil intermisit, in nullo claudicavit. Non in hoc recte agebat, in illo autem peccabat, sed in omni virtute perfectus erat: illud enim exhibere ejus officii erat* [4]). Sic S. Jacobus ait: *Sitis perfecti et integri, in nullo deficientes* [5]). At vero sanctitas potest reperiri in aliquibus cum defectibus rerum aliquarum, quae in viris perfectis non desunt, nec deesse solent: ut apparet ex historiis ecclesiasticis, in quibus narrantur vitae aliquorum Sanctorum, qui defectibus nonnullis laborarunt, vel irae, vel nimiae laetitiae, inordinatae tristitiae, vel nimii zeli et rigoris in puniendis delinquentibus, vel tenacitatis judicii proprii, seu pertinaciae in apprehensionibus quibusdam specie boni palliatis; qui defectus et alii longe abesse debent ab iis, qui volunt esse perfecti, et non fuerunt in viris perfectis: quales fuerunt S. Dominicus, S. Franciscus, S. Ignatius, S. Xaverius, S. Teresia, et multi alii utriusque sexus. Talis ergo perfectionis

---

[1]) *Clem. Alex.* Paedag. l. I. c. VI; *Ambros.* l. II. de Jacob. c. V. [2]) *Aristot.* l. V. metaph. c. XVI; l. III. phys. text. LXIII. [3]) 1. q. XCIV. a. 1; 2. 2. q. CLXXXIV. a. 2. [4]) In Gen. hom. XXIII. n. 5. [5]) Jac. I, 4.

ardens desiderium et studium comparandum est in octiduana collectione et in quotidianis meditationibus.

CAPUT VII.

Tranduntur modi bene operandi ad renovandam animae nostrae imaginem et Deo similem reddendam per hanc octiduanam recollectionem.

Quo autem modo facienda sint bona, quae ad complementum justitiae et ad perfectionem assequendam facienda sint cuivis, non tantum religioso, sed etiam saeculari perfectionis studioso, sic faciendum existimo:

I°. Ne ullo peccato vitientur, quo perdant vel minuant meritum, quod inest cuivis operi bono rite facto ab homine justo in Dei gratia existente.

II°. Ut quodvis particulare opus fiat ob finem aliquem supernaturalem, actuali vel explicita intentione oblatum vel factum; quem operandi modum qui improbat, directe improbat regulam 17. Summarii a S. P. N. Ignatio nobis praescriptam, et illius axioma, volentis a nobis in omnibus quaeri, non qualemcumque, sed majorem Dei gloriam, quae non quaeritur ab eo, qui sine actuali et explicita intentione supernaturali operatur bona. Nec est, quod quis timeat laesionem capitis in tali operandi modo, quia experientia sic operantium ostendit contrarium. Et ego nullum sic operantem novi factum stultum. Nec Novitii laesionis capitis periculum sic operando subibunt, si discrete docebun-

tur sua Deo opera offerre, non statim omnia, sed prius unum, postea aliud, et ita progrediendo ad reliqua more scholarium, qui prius discunt A. B. C., postea componere syllabas, tandem legere, et tunc demum ad ulteriora pergere grammaticae rudimenta, et tandem ad altiores disciplinas gradum facere.

III°. Totum tempus praescriptum operi, illud non decurtando impendatur.

IV°. Iis temporibus et modis quodlibet opus fiat, qui praescripti sunt vel a regula, vel ab ordinatione aliqua, vel a Superioris vel patris spiritualis viva voce, vel a recepta et approbata a majoribus illius loci consuetudine; et in his quatuor conditionibus situm est illud, quod nobis commendatur in regula 1. Communium de faciendis rebus cum omni diligentia in Domino.

V°. Qui more Sanctorum eximiorum vult operari praeter supradicta, conetur singula opera facere ferventer, seu ardenter, quo operandi modo multum acquiritur. Quia, ut docet S. Chrysostomus, *quando videt gratia Spiritus S. fervens desiderium et vigilem mentem, tunc et gratiam suam opulentam liberalius largitur* [1]): tum ad currendum in via Dei velocius, tum ad apprehendenda coelestia munera copiosius.

Qui currunt? interrogat S. Bernardus, et respondet: *Spiritu ferventes animae.... Quae amat ardentius, currit velocius, et citius perveniens, non dico repulsionem, sed nec cunctationem patitur.*

[1]) In Gen. hom. III. n. 1.

Sine mora aperitur ei, tanquam domesticae, tanquam charissimae, tanquam specialiter dilectae et singulariter gratae [1]).

Si quaeras: Quid sit fervor iste in operando Sanctis familiaris?

Respondeo: Esse modum operandi bona, similem concionatori, vel disputanti vel loquenti ferventer, nimirum cum quadam accensione animi et quasi bona quadam ira, quae non est in iis, qui phlegmatice, vel frigide, vel tepide disputant, concionantur, aut loquuntur. Ut autem distinctius rem aperiam: Quatuor res in fervore operandi esse solent:

1°. Ex parte animi operantis. Qui enim ferventer aliquid boni facit, habet ignitum quoddam, uti solet loqui S. Laurentius Justinianus, desiderium id faciendi, quod facit, et ut loquitur S. Chrysostomus de effectu, quem sanctissima Eucharistia causat in nobis, *tanquam leo ignem spirans* [2]) facit, quod facit. Ideo ubi talis est animus, est etiam ardens desiderium operandi illud, quod vult operari; est summa promptitudo omnem remoram et difficultatem a se arcens, et ita pio quodam impetu impellens hominem ad operandum: sicut magnus lapis, manu humana protensa sustentatus, eam etiam invitam impellit, ut deorsum tendat, et dimittat lapidem ad suum centrum veluti properantem et cogentem manum ad se demittendum. Tales timet diabolus. Nam, ut

---

[1]) In Cantic. serm. XXIII. n. 1. [2]) In Joann. hom. XLVII. al. XLVI. n. 3.

scribitur in vitis Patrum, *Abbas Pimenius dixit: Sicut ad succensam ollam muscae non appropinquant; si vero tepida fuerit, insidunt in eam, et faciunt vermes: ita et monachum succensum igne divini Spiritus, daemones fugiunt, tepidum vero illudunt et insequuntur* [1]).

2°. Ex parte objecti. Qui fervens est, aggreditur generose et ignee res difficiles, amori proprio molestas, et inter duas perfectas, illam potius eligit, quae perfectior est, et inter aeque perfectas illam, quae est Christo Domino afflicto, humiliato, et crucifixo magis conformis, juxta secundum modum seu gradum humilitatis a S. P. N. Ignatio praescriptum in secunda hebdomada exercitiorum. Ideo S. Chrysostomus fervorem exigebat ad superanda difficilia et adversa. *Magnum vere*, inquit, *bonum tribulatio, ac magnae et generosae animae opus.... Nobis ubique alacritate opus est, multoque fervore, anima ad mortem parata: alio enim modo non possumus regnum consequi, nisi per crucem. Ne decipiamus nosmetipsos* [2]).

3°. Ex parte continuationis. Qui fervens est in bene operando, non fatigatur, non retrocedit, sed quo plura operatur et patitur — nam pati est quoddam operari, quia patientia habet suos actus heroicos — eo plura desiderat facere et pati; nunquam dicit: Sufficit; nunquam cessat, sed more ebrii, quo plus bibit, ut ait S. Chrysostomus, plus sitit. Et

---

[1]) L. VII. c. 39. n. 3. [2]) In Acta hom. XXXI. n. 3.

haec est illa perfectio operandi seu, ut eam vocant theologi, *beatitudo* [1]), expressa a Christo Domino per *esuriem et sitim justitiae* [2]). Hoc est signum fidelis Dei servi. *Quis est fidelis et prudens monachus?* quaerit S. Climacus; et respondet: *Qui primum ab ingressu religionis ardorem spiritus inexstinctum retinuit; qui usque ad vitae metam exitumque ignem igni, calorem calori, studium studio, desiderium desiderio semper addendo conatus est augere* [3]). *Quemadmodum ignis,* inquit Theodoretus, *quanto plus nutrimenti suscipit, tanto majorem vim exerit, augetur enim appositione materiae, et non hebetatur: sic Dei dilectio rerum divinarum contemplatione incenditur, et vehementiorem inde ardentioremque operationem recipit: et quanto quis amplius in divinis institerit, tanto magis charitatis flammam excitat* [4]); quae est fervoris essentia. Duplex est enim fervor, ut scribit P. Ludovicus de Ponte describens sanctum fervorem P. Francisci Riberae in vita P. Balthasaris Alvarez: »Alter est juvenum tyronum, qui ollarum instar ad magnum ignem appositarum vehementer fervent, et quod intus habent strepitu quodam exterius effundunt. Alter est fervor gravis, (— hominum perfectorum —) substantialis plane et pacatus, instar alicujus ollae ad moderatum ignem ferventis, meliusque coquentis quod continet: qui fervor etiam est diuturnior« [5]).

---

[1]) 1. 2. q. LXIX. a. 1. [2]) Matth. V, 6. [3]) Scala parad. gr. I. fin. [4]) Or. de div. charit. col. 3. [5]) C. 31.

4°. Ex parte subjecti operantis. Solent enim ferventes cum tanta applicatione animi operari, ut utendo membris corporis tanquam instrumentis animi et naturalibus passionibus tanquam ministris, etiam in corpore sentiant alterationem et ardorem animi redundantem in corpus. Excellebat hac in re S. P. N. Ignatius, qui, ut scribit Ribadeneira oculatus testis [1]), et P. Ludovicus Gonzalez: »Quotiescunque orare inciperet, id statim apparebat in ejus vultu (— qui alias fuit subniger et fuscus, seu semiflavus —) rubebat, et quodammodo ignescebat, etiam dum mensae benediceret, vel postea gratias ageret« [2]).

Et quidem tres primae conditiones fervoris corpori non possunt nocere ex se, sed quarta nocere solet, praesertim in tyronibus, si indiscrete, non ex Dei impulsu, sed proprio conatu, vel ex superbiae instinctu, vel ex tentatione daemonis, quasi cogunt naturam suam, seu caput et pectus, ad ardorem quendam sensibilem corporis sentiendum. Ideo id cavendum est, et nullo modo cogendum corpus ad talem fervorem sive in oratione, sive alias. Est enim illusio magna id conari, et quasi violente velle exprimere in se, eo modo quo quis ex re sicca vellet torculari violenter liquorem educere et exprimere. Quando Deus fervorem talem alicui dat, tunc homo plane in initio hujus fervoris habet se mere passive, hoc est, sentire in se illum incipit quasi ab extra immissum sibi nil minus conanti, nec cogitanti;

[1]) Vit. l. V. c. 1. [2]) Diar. p. 63.

postquam autem immissus est, tunc jam libere illum retinet, et eo inflammatus opus bonum continuat, vel novum aggreditur. Ne autem noceat corpori, si diu duret, vel magis ac magis intendatur, temperandus est et frenandus omnino — juxta directionem P. Spiritualis, si tyro sis — juxta illud Spiritus S. monitum, quod etiam hic locum habet: *Mel invenisti, comede quod sufficit tibi, ne forte satiatus evomas illud* [1]).

Hoc docuit S. Xaverius exemplo suo, qui dicebat Domino: *Domine satis est, satis est* [2]); quod et de S. Ephraem scribitur in ejus vita, et de aliis Dei servis. Verum tamen est, — quod tamen sine periculo superbae praesumptionis desiderandum tibi non est — Deum aliquibus magnis amicis suis tam copiosum infundere sive in operando, sive in orando fervorem, ut vere, etsi conentur, non possint ei resistere eumque minuere, sed plane cogantur succumbere et languere et morbum inde contrahere.

Hac ratione S. P. N. Ignatius, teste Ribadeneira [3]), in extremum vitae discrimen adductus est ob hunc fervorem, eo quod die quodam Nativitatis Domini duo sacra continenter fecisset. Ideo, ut scribit P. Ludovicus Gonzalez seu Consalvus, S. P. Ignatius, »quo die non bene valeret, hoc est, non se sentiret robustum, non dicebat Missam, quia eam dicendo, incidebat in morbum, seu magnam corporis debilitatem. Imo saepe notatum est, eum etsi valido et

---

[1]) Prov. XXV, 16. [2]) Vit. l. VI. c. 5. [3]) Vit. l. V. c. 1.

robusto corpore ad Missam legendam accessisset, solitum in ea ob fervorem incidere in morbum. Atque hanc ob causam saepe eam intermittebat ipse; sed et eam audiens hoc ipsum virium detrimentum patiebatur« [1]): et quodammodo luctando cum Deo per ardorem devotionis et amoris, uti alter Jacob cum Angelo in Genesi, claudus remanebat [2]), sancto corpore vehementer debilitato et languente [3]). Et de tali fervore loquitur S. Thomas, cum eum describens ait: »Aestus fervoris ex sui vehementia redundat usque ad permutationem inferioris partis, et quoad exteriora quodammodo ebulliendo refunditur, et procedit ex abundantia caloris« [4]).

Etsi enim amor ex se *quoad formale, scilicet ex parte appetitus,* passio laesiva non sit; tamen, ut docet S. Thomas, *quantum ad id quod est materiale in passione amoris, quod est immutatio aliqua corporalis, accidit quod amor sit laesivus propter excessum immutationis; sicut accidit in sensu et in omni actu virtutis animae, quae exercetur per aliquam immutationem organi corporalis* [5]). Et ita S. Teresia scribit, quasdam personas esse mortuas ex intenso fervore amoris et desiderii Dei [6]). Et sic ipsam quoque S. Teresiam esse extinctam, scribitur in ejus vita a nostro P. Francis-

---

[1]) Diar. [2]) Gen. XXXII, 31. [3]) Maff. l. III. c. 12. [4]) De verit. q. XXVI. a. 7. ad 7; in c. XII. ep. ad Rom. lect. 2. [5]) 1. 2. q. XXVIII. a. 5. [6]) Iter perfect. c. 19; l. fundat. c. 6.

co Ribera [1]); et postea scriptum exstat in relatione pro ea canonizanda Summo Pontifici data, et in officio divino a Sede Apostolica approbato. Sic extinctas alias dicitur l. II. Revel. S. Brigittae c. I.; et beatissimam Genitricem Mariam sic esse vi amoris, non morbi mortuam, scribit Suarez [2]), et innuit S. Joannes Damascenus [3]) et Nicephorus in sua historia [4]). Quod etiam de nostro S. Stanislao Kostka medici testati sunt eo mortuo: eo quod levis febricula tertiana, vix bis vel ter eum aggressa, nulla ratione ei naturaliter robusto mortis esse causa potuerit. Admiranda haec sunt, non desideranda; praesertim cum talia desiderantibus non dentur a Deo, sed prae humilitate similia fugientibus Deus soleat largiri similes mentis Deo ardentis excessus.

Verumtamen post longi temporis fervorem solet Deus largiri prorsus non minus intensos animi actus et affectus pios sine laesiva corporis inflammatione et alteratione, quam fuerint illi, qui antea corpus vehementer inflammabant et debilitabant et prae amore ardentissimo languere faciebant; et talem statum S. P. N. Ignatius aliquot annis ante mortem assecutus est et appellabat devotionem angelicam: eo quod sicut Angeli devotissime et ferventissime orant sine alteratione corporis, quo carent, ita illi servi Dei ad hunc statum evecti orant

---

[1]) L. IV. c. 4. [2]) In l. III. dist. XXI. sect. 1. [3]) Or. II. de dormit. Virg. [4]) L. III. c. 35. coll. l. II. c. 42.

et operantur et amant Deum ferventissime sine corporis alteratione et inflammatione laesiva. Et talem devotionem Deus Pater dixit S. Catharinae Senensi esse sextum genus lacrymarum ignitarum [1]), quae a viris valde perfectis funduntur sine lacrymis oculorum.

CAPUT VIII.

Indicantur praecipui defectus foedantes imaginem animae nostrae, ut per hanc octiduanam recollectionem eorum extirpatio deinceps curetur.

Cum supra dictum sit, in renovatione animae nostrae illam inchoandam esse ab ablutione et abrasione macularum, quibus ante hanc collectionem obscurata et denigrata fuit: haec ablutio post confessionem — eo modo factam quo illam faceres, si jamjam mori deberes — tam perfecta esse debet, ne unquam deinceps labaris, tum in illa peccata, quae in te agnosces esse ceteris majora, tum in ea, quae tu forte hactenus non agnovisti esse tam gravia, et tam periculosa ac disponentia ad perdendam facile et cito gratiam Dei, uti sunt judicio Dei et Sanctorum magnorum. *Nullus enim novum hominem*, inquit S. Laurentius Justinianus, *qui secundum Deum creatus est, induere valet, nisi prius cum actibus suis expoliaverit veterem* [2]).

---

[1]) Dial. c. 91. init. et 96. in fine. [2]) L. de humil. c. XIX.

Quod tanto magis procurandum est, quia, ut ait S. Gregorius Nyssenus: *Deus, qui te formavit, tale bonum statim ita naturae quasi inessentiavit, sive consubstantiavit et incorporavit: tui enim fabricationi et constitutioni Deus suae naturae bonorum simulacra similitudinesque et quasi imitamenta impressit et informavit, veluti ceram quandam sculptili figura praeformans et fingens. Sed vitiositas divinam imaginem referenti signo circumfusa, bonum turpibus velamentis obductum et occultatum, inutile tibi fecit. Si igitur diligenti et accurata vita sordes cordi illitas et obductas rursus ablueris, resplendebit in te divina pulchritudo. Quemadmodum in ferro fieri solet, cum id, quod paulo ante nigrum erat, per cotem detracta rubigine splendores quosdam in se ad solem refulgens et nitores edit: ita homo quoque internus, quem cor Dominus nominat, cum sordes rubiginosas absterserit, rursus cum originali et principali forma similitudinem recuperabit, ac bonus erit. Nam quod boni simile, bonum prorsus est*[1]).

Nunc ergo sordes has rubiginosas peccatorum abstergendas vel abradendas in hac octiduana collectione enumerabo aliquas frequentiores, tum internas, tum externas, deinceps summo conatu vitandas. Non agam hic de sordibus peccatorum mortalium: quia pro his personis hoc opusculum scribo, qui Dei beneficio vivunt sine peccatis mortalibus et ab iis magis, quam a diabolo abhorrent, sed de solis

[1]) De beatit. or. VI. med.

venialibus sordibus agam, sine quibus in hac vita, excepto solo Christo Domino et beatissima Virgine Maria, nullus Sanctorum vixit et vivit. Nam, ut bene scripsit S. Gregorius Papa: *Sancti viri, licet magna jam claritate luceant, aliquas tamen peccati nebulas, veluti quasdam noctis reliquias, nolentes trahunt* [1]). Et, ut ait S. Joannes Apostolus: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est* [2]). Quo loco de solis peccatis venialibus esse sermonem, bene docet S. Augustinus [3]), et S. Thomas [4]), et alii. Hinc nulla unquam congregatio, licet sanctissima, fuit in Ecclesia Dei, nec esse potest — seclusis extraordinariis Dei privilegiis, quae nulli concessa esse scimus — in qua non fuerint multi imperfecti, tepidi, peccatis venialibus, etiam gravioribus, aliqui obnoxii; quae Sancti magni, etiam in suis domesticis reprehendebant et puniebant, uti apparet ex sermonibus et epistolis impressis ac vitis magnorum Sanctorum: Benedicti, Bernardi, Dominici, Francisci, Bonaventurae, Petri Damiani, Laurentii Justiniani [5]), ut nihil dicam de antiquioribus Basilio, Climaco, Dorotheo et aliis. Quocirca et Concilium Milevitanum et Arausicanum et Tridentinum [6]) contra Pelagii haeresim contrarium docentis sanxerunt, verba illa orationis dominicae: *Dimitte nobis de-*

---

[1]) In Ps. poenit. II. n. 7. [2]) I. Joan. I, 8. [3]) Contr. duas ep. Pelag. l. III. c. 3.; de natur. et grat. c. XXXVI. [4]) 3. q. LXXIX. a. 4. ad 3. [5]) Citat. supra c. VI. motiv. 14. pag. 87. [6]) Sess. VI. cap. 11.

bita nostra, quae quotidie dicimus, etiam a Sanctis viventibus, non tantum ex humilitate, sed ex veritate dici, tanquam ab iis, qui peccatis venialibus sunt obnoxii. Quia, ut bene ait S. Isidorus Hispalensis: *Quamvis in hoc saeculo magna justitiae quisque claritate resplendeat, nunquam tamen ad purum peccatorum sordibus caret* [1]), scilicet venialium. *Et quemadmodum qui pessimi sunt,* ut inquit S. Chrysostomus, *faciunt frequenter boni quiddam: sic et boni virtuteque praediti saepenumero peccant* [2]). Et *non solum populus christianus,* dicit S. Caesarius Arelatensis, *sed etiam nullus sanctorum a peccatis venialibus immunis esse potuit aliquando, aut poterit* [3]). Quamvis verum sit, viros valde perfectos raro peccare, nunquam deliberate, nunquam graviter, et a certis venialibus peccatis, quae valde dedecent viros sanctos, perpetuo per Dei gratiam abstinere; sed quia, ut ait apud Cassianum Abbas Pynuphius, in omnibus Congregationibus, *examinata vita atque ad purum excocta reperitur in paucis* [4]); et quia, ut Deus Pater dixit sanctae Catharinae Senensi, »quam plurimi, qui in religionis navicula pascuntur, sunt cum defectibus multis, et plurimi sunt in Ordine viventes communiter, qui neque perfecti sunt uti esse debeant, neque mali, quia praeservant animam a peccato mortali« [5]); ideo ad hos juvandos agam contra aliqua peccata venialia frequentiora, ea ut vitent.

---

[1]) Sent. l. II. c. XVIII. [2]) Conc. III. de Lazaro n. 4. [3]) Serm. CIV. n. 3. inter serm. suppos. S. Aug. oper. t. V. 2. [4]) De coenob. instit. c. XL. [5]) Dial. c. 162.

I°. Vitanda sunt judicia interius condemnantia aliorum dicta et facta et intentiones et omissiones et modum procedendi domi et foris. Haec judicia appello detractiones mentales, quae tanto graviores sunt, si sunt conjunctae cum interno contemptu personarum sic mente condemnatarum, et cum quadam aversione ab eis et a conversatione cum eis, et cum displicentia de conversatione aliorum cum illis, et de laudatione eorum facta ab aliis, et cum laetitia etiam involuntaria de non prosperis vel malis successibus rerum ad personas sic mente judicatas et condemnatas spectantium. Pondera singula verba hic a me scripta. Agnosces enim fraudes diaboli, vel naturae tuae malignitatem specie zeli tectam, quae multos inducit ad talia judicia contraria evangelicae charitati, quae, ut ait Apostolus [1]), non cogitat malum, scilicet de proximo, et omnia — scilicet bona, quae dicuntur de proximo — credit, nec irritatur, etsi videat vel audiat aliqua de talibus, quae ipsi displicent et non videntur esse bona. Cum autem hoc solum signum Christus Dominus nobis reliquerit ad cognoscendos veros suos discipulos, hoc est, bono spiritu evangelicae perfectionis praeditos, si dilectionem habuerint ad invicem [2]): hinc agnosces, te non esse Christi discipulum, et valde denigratam habere Dei imaginem, si soles ita mente judicare et condemnare alios, uti supra a me dictum est. Ideo Deus Pater pro nostra institutione nullum alium defectum in

[1]) I. Cor. XIII, 5. sq. [2]) Joan. XIII, 35.

S. Catharina Senensi correxit, nisi hunc solum alios judicandi, etsi non condemnaret temerarie nec falso, sed ex zelo defectus aliorum omnino veros: nolens, ne quidem certos et veros et inexcusabiles aliorum defectus mente condemnari, etiam ex instinctu zeli et amoris divini. Quam rem sic ipsa S. Catharina existens in quodam divino raptu expressit, et postea, Dei monitu, ad posterorum instructionem dictavit et scriptam exstare voluit orationem suam ad Deum Patrem fusam: »Tradidisti, inquit, mihi medicinam optabilem contra quandam occultam aegritudinem, quam etiam ignorabam, nec illam agnoscebam, instruendo me, ne ullatenus ego judicare praesumam aliquam rationalem creaturam, et praecipue servos tuos, de quibus aliquando velut ex caecitate et ignorans hac eram infirmitate correpta; quia sub specie colorata tui honoris atque salutis animarum temere judicabam« [1]). Ideo ante mortem in suo testamento suis filiis et filiabus spiritualibus, id cum magna emphasi commendavit, ut scribitur in ejus vita, ne ullum prorsus judicent, nullum condemnent, »etiamsi viderent oculata fide ipsos facere peccatum« [2]). Quanto magis abstinendum est a judiciis condemnativis rerum, quae peccata non sunt, sed res indifferentes, quae bene vel male fieri possunt pro diversitate intentionum soli Deo notarum. Quocirca mirum non est, quod scribit S. Dorotheus: *Cernis quam grave peccatum sit proximum judicare? quid hoc gravius esse potest? Nihil enim adeo*

[1]) Dial. c. 108. [2]) Vit. p. III. c. III. n. 361.

execratur Deus, odit et abominatur, ex sententia Patrum: quia temerario judicio nihil est deterius.... Quare nihil adeo provocat Deum, nihil adeo hominem spoliat, et fert in ambiguum, ut obloqui, ut condemnare, ut spernere proximum [1]). Hoc quoque ad vitandam omnem alienae famae denigrationem et vitae plurimum te movere debet, quod Spiritus S. alienae vitae et famae detractores appellat canes: *Videte canes* [2]) id est, vitate tales; et alibi: *Foris canes* [3]), coelo eos excludens tanquam eo indignos; ubi commentatores omnes per hos canes intelligunt eos, qui alienam vitam et famam mordent et detrahunt [4]). Quo etiam titulo S. Bonaventura detractores insignivit, canibus eos comparans. *Discas*, inquit S. Chrysostomus, *morem esse Scripturae, ut vitiis studentes, et virtutem negligentes hominum nomine vocare non dignetur.... Quod enim cum in malum declinant homines, et servi fiunt irrationalium affectionum, divina Scriptura imponit illis bestiarum nomina* [5]).

Merito autem murmuratores et detractores famae alienae canes a Spiritu S. appellantur:

1°. Quia, ut ait S. Bonaventura, sicut canes libenter lingunt aliena ulcera sordida et foetentia: ita denigrantes alienam famam, linguam libenter occupant vel affingendo falsos aliis defectus, vel veros narrando et exaggerando contra charitatem,

---

[1]) Doctr. VI. §. 1. [2]) Philip. III, 2. [3]) Apoc. XXII, 15. [4]) *Beda, Ribera, Sa, Menoch., Cornel. a Lap.* in h. l. Apoc. [5]) In Genes. hom. XXIII. n. 4.

quae operit multitudinem alienorum peccatorum, non vero revelat aliis. Graviter tales perstringit S. Chrysostomus: »Ferarum est vere saevissimarum, nemine quempiam laedente, injuriam incipere, imo vero neque ferarum. Illae namque, si permittas in deserto se pascere, neque coangustans in necessitatem redegeris, nunquam laedent, nunquam impetent, nunquam mordebunt, sed propriam transibunt viam. Tu vero cum sis homo rationalis, tanto decoratus principatu, tanto honore et gloria, circa consanguineos feras imitaris, et injuria fratrem afficis et devoras; et unde poteris excusari? Non audis Paulum dicentem: *Quare potius injuriam non patimini? quare potius non privamini? At vos injuriam facitis, et aufertis, idque fratribus.* (I. Cor. VI, 7, 8) Vides quod male pati in malefaciendo est, bene vero pati in mala patiendo. Dic enim, quaeso, si quis principes conviciis insectaretur: si quis rerum dominos afficeret injuria: quem laederet, semetipsum, an illos? Planum est, quod semetipsum. Ergo principem quidem laedens non illi, sed sibi nocet; Christum autem contumelia afficiens, per illud eum contumeliam pati cogit? Nequaquam. Imagines lapidibus impetens: quem lapidat, nonne semetipsum? Et postea regis quidem terreni lapidans imaginem se lapidibus obruit, Christi vero temerans imaginem (homo namque Dei imago) nonne semetipsum laedit«?

2º Detractores canibus merito assimilantur, quia lacerant bonum nomen et famam, et apud alios bonam existimationem laedunt suis linguis infamatoriis

sicut canes, qui invadunt eos quoque transeuntes, a quibus nunquam laesi fuerunt, imo ipsos amicos dominorum suorum, dum ad eorum domum humanitatis ergo veniunt, vel ante illam transeunt, aut eminus stantes cernunt.

Quin etiam SS. Patres detractores diabolos appellant [1]); et sat modeste eos sic appellant: sunt enim aliqua ratione ipsis diabolis pejores alienae famae et existimationis bonae detractores. Diaboli enim, teste Christo Domino, inter se concordes sunt [2]); unde nascitur, ut nullus diabolus invadat alterum, nullus detrahat alteri, condemnet facta et conatus alterius diaboli, uti faciunt maledici et invidi detractores involantes in famam alienam. Et ita S. Chrysostomus: *Invidi*, inquit, [idem autem de aliis contra charitatem vitiis dici potest] *feris* [quae beneficiis non irritantur contra nos] *deteriores sunt, daemonis pares; imo forte pejores illis. Illi namque adversum nos implacabiles exercent inimicitias, sed sui similibus daemonibus non insidiantur; ideoque hinc Christus Judaeos confutavit, cum dicerent ipsum in Beelzebub ejicere daemonia. Hi vero ne naturae quidem suae consortium reverentur, neque sibi ipsis parcunt* [3]). Merito ergo eos Spiritus S. per Apostolum Paulum appellavit *Deo odibiles* [4]): quamvis Deus *nihil eorum oderit, quae fecit* [5]).

---

[1]) *Joan. Clim.* Scal. parad. grad. IV. col. 48. [2]) Matth. XII, 25. 26. [3]) In Joan. hom. XXXVII. al. XXXVI. n. 3. [4]) Rom. I, 30. [5]) Sap. XI, 25.

Fuge ergo omnem alienae famae detractionem, ne et tu a Spiritu sancto habearis pro cane, et pejor diabolo; relinque Deo et Superioribus judicia de aliis, sed ut monent Sancti, excusa ea quae tibi videntur mala, et operi charitate christiana peccata aliena: quia *charitas*, teste Apostolo, *non cogitat mala* [1]), multo minus dicit, *sed operit multitudinem peccatorum* [2]). »Charitas, inquit S. Chrysostomus, multitudinem peccatorum tegit, inimicitiae autem etiam ea quae non sunt suspicantur«. Beati qui etiam vera aliena peccata sic tegunt: nam, ut dixit Abbas Pastor: *Quacunque hora prodiderimus culpas fratrum, et Deus nostras similiter prodet* [3]). In quem sensum de re simili disserentis Senecae dictum potest aptari: »Dabit poenas alteri — scilicet Deo laedens famam tuam — quas debet tibi: et jam sibi dedit, qui peccavit« [4]). Major enim est poena peccasse, quam ob peccata poenam mereri vel subire.

II°. Vitanda est interna negligentia in repellendis imaginationibus et cogitationibus impuris, turpia objecta vel peccata, sive propria, vel aliena repraesentantibus. Per has enim negligentias non subito rejectas, sed neglectas, multi, etiam antea sancti, immo innocentes, jacturam fecerunt divinae gratiae. et in gravissima scelera et scandalosa prolapsi sunt, et plerique eorum in statu peccati mortalis mortui ad poenas aeternas inferni luendas sunt a divina justitia detrusi. Sciunt hoc, qui alienas conscientias

---

[1]) I. Cor. XIII, 5. [2]) I. Petr. IV, 8. [3]) Vit. Patr. l. V. libel. IX. n. 6. [4]) De ira l. II. c. 30.

diu direxerunt. Hunc abigendarum tentationum modum proponebat monachis S. Apollonius Abbas: *Docebat autem eos, ut quotidie proficerent in virtutibus, et insidias diaboli, quas per cogitationes inferret hominibus, in initiis statim retunderent. Sic enim ajebat, confringetur caput serpentis, et omne ejus corpus emortuum reddetur. Ob id enim mandat nobis Deus observare caput serpentis, ut omnino statim ab initio nec recipiamus malas et sordidas cogitationes in corde nostro. Quanto ergo magis diffundi non convenit in sensibus nostris cogitationum phantasias, quas etiam initio recipi vetat?* [1]). Quod non tantum intelligendum est de vehementibus et valde sordidis cogitationibus, sed de minimis quoque et levissimis in materia venerea. »Omnem turpem concupiscentiam ac voluptatem carnalem etiam minimam detestare!« inquit Ammon Abbas apud S. Ephraem [2]). Nam, ut scribit S. Macarius: *Perinde ac si sit hortus, arboribus fructiferis et aliis fragrantibus plantis consitus, atque per omnia bene excultus et exornatus, munitus quoque pro vallo, exiguo pariete conservante eum; contingat vero fluvium rapidum illic transcurrere, licet modicum aquae allidat parieti, corrumpit fundamentum, sumptaque eductione paulatim dissolvit, atque irruens affringit et exstirpat omnes plantas, et universam culturam delet, et sterilem reddit: sic quoque se habet cor hominis: possidet cogita-*

---

[1]) *Ruffin.* Hist. monach. c. VII. col. 146. q.; *Pallad.* Hist. Laus. c. LII. [2]) Paraen. n. 3.

tiones honestas: appropinquant vero cordi perpetuo et fluvii vitiorum, volentes illud dejicere, atque in suam partem protrahere. Itaque si animus paululum levis factus, illabatur in impuras cogitationes, ecce acceperunt pabulum spiritus erroris et ingressi everterunt illius ornamenta, exstinctisque bonis cogitationibus animam devastarunt [1]).

III°. Vitanda est exterior denigratio famae alienae, tum ea quae fit per detractionem, qua bona apud alios opinio minuitur, — sive de doctrina, sive de virtute, sive de spiritu, sive de prudentia alterius, — tum ea quae fit per murmurationem, per quam etsi ob bonitatem audientium, vel ob notam murmurantis malignitatem, ejus dictis non creditur, tamen a murmurante sive veri, sive ficti, sive non ficti, sed falsi defectus alicujus narrantur, qui possent ingenerare malam de altero, sic a murmurante descripto, opinionem et aversionem ab eo. Quod malum, quia valde commune est et valde periculosum, ideo contra illud saepe ago et agam, etiam iterando dicta a me in aliis opusculis — quia non omnes legent omnia mea opuscula — et ut omnibus reddam exosum hoc vitium, ut ab illo tanquam a colubro sinui se ingerente confestim fugiant et illud excutiant.

Gravissimum malum est denigrare sive doctrinam, sive virtutem, sive spiritum alterius, sive alia coram altero, ad quem non spectat emendatio morum alienorum: uti spectat ad Superiores; non est

---

[1]) Hom. XLIII. n. 6.

ullum vitium ex iis, in quae frequentius religiosi etiam labuntur, quod adeo, uti hoc, perstringunt sancti Patres. *Proditores quidem fiunt,* inquit S. Bernardus, *quicunque in hoc Domini castrum* [scilicet domum religiosam] *inimicos ejus introducere moliuntur, quales sunt utique detractores, Deo odibiles,* [sic enim appellantur ab Apostolo Rom. I, 30.] *qui discordias seminant, et nutriunt scandala inter fratres. Sicut enim in pace factus est locus Domini: sic in discordia locum diabolo fieri, manifestum est. Non miremini, fratres, si durius loqui videar; quia veritas neminem palpat. Omnino proditorem se noverit, si quis forte, quod absit! vitia quaelibet in hanc domum conatur inducere, et templum Dei speluncam facere daemoniorum.... Quibus ergo proditorem castri hujus putas exponendum esse suppliciis? Non utique communi ceterorum more damnabitur, sed exquisitis illum necesse est interire tormentis* [1]). Et alio in loco: *Non veniat anima mea in concilio detrahentium, quoniam Deus odit eos, dicente Apostolo: »Detractores Deo odibiles« (Rom. I, 30.). Quam sententiam Deus ipse loquens in psalmo, audi quomodo confirmat: »Detrahentem, inquit, proximo suo, hunc persequebar«. (Ps. C, 5). Nec mirum, cum id praecipue vitium charitatem, quae Deus est, et quidem ceteris acrius, impugnare et persequi cognoscatur, quemadmodum vos quoque potestis advertere. Omnis qui detrahit, primum quidem seipsum prodit vacuum charitate.*

[1]) In dedic. Eccl. serm. III. n. 3.

Deinde quid aliud detrahendo intendit, nisi ut is, cui detrahit, veniat in odium vel contemptum ipsis, apud quos detrahit? Ferit ergo charitatem in omnibus, qui se audiunt, lingua maledica: et quantum in se est, necat funditus et exstinguit: non solum audientem, sed et in absentibus universis, ad quos volans verbum forte per eos, qui praesentes sunt, pervenire contigerit. Vides quam facile et in brevi ingentem multitudinem animarum velociter currens sermo tabe malitiae hujus inficere possit. Propterea dicit de talibus propheticus spiritus: »Quorum os maledictione et amaritudine plenum est: veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. (Ps. XIII, 3.) Utique tam veloces, quam velociter currit sermo. Unus est qui loquitur, et unum tantum verbum profert; et tamen illud unum verbum, uno in momento, multitudinis audientium, dum aures inficit, animas interficit. Cor siquidem felle livoris amarum per linguae instrumentum spargere nisi amara non potest, dicente Domino: »Ex abundantia cordis os loquitur« (Luc. VI, 45). Et sunt species pestis hujus, dum alii quidem nude atque irreverenter, uti in buccam venerit, virus evomant detractionis; alii autem quodam simulatae verecundiae fuco conceptam malitiam, quam retinere non possunt, adumbrare conantur. Videas alta praemitti suspiria, sicque quadam cum gravitate et tarditate, vultu moesto, demissis superciliis, et voce plangenti egredi maledictionem, et quidem tanto persuasibiliorem, quanto credis ab his qui audiunt, corde

invito, et magis condolentis affectu, quam malitiose proferri. Doleo, inquit, vehementer, pro eo quod diligo eum satis, et nunquam potui de hac re corrigere eum. Et alius: Mihi quidem, ait, bene compertum fuerat de illo istud; sed per me nunquam innotuisset. At quoniam per alterum patefacta res est, veritatem negare non possum: dolens dico, revera ita est. Et addit: Grande damnum! Nam alias quidem in pluribus valet, ceterum in hac parte, ut verum fateamur, excusari minime potest [1]). Et alio in loco, ubi detractoris linguam: *viperam* esse dixit, *lanceamque acutissimam, quae tres penetrat ictu uno:* quippe quae *et illius* — qui audit — *percutiens conscientiam, et istius* — cui detrahitur — *vulnerans charitatem, secum pariter utrumque perimat,* haec jam subdit: *Nec vero hujusmodi linguam ipso etiam mucrone, quo Dominicum latus confossum est, crudeliorem dicere vereris. Fodit enim haec quoque Christi corpus, et membrum de membro, nec jam exanime fodit, sed facit exanime fodiendo. Ipsis quoque nocentior est spinis, quas illi tam sublimi capiti furor militaris imposuit; seu etiam clavis ferreis, quos sanctissimis manibus illis et pedibus consummata judaicae gentis iniquitas infixit. Nisi enim hujus, quod nunc pungitur et transfoditur, corporis vitam sui vitae corporis praetulisset, nunquam illud pro isto mortis injuriae, crucis ignominiae tradidisset* [2]).

---

[1]) In Cant. serm. XXIV. n. 4. [2]) De divers. serm. XVII. n. 5.

Et S. Laurentius Justinianus: *Impium,* inquit, *procul dubio est oblocutionibus intendere, et rabido ore absentium lacerare vitam.... Detractio spirituale homicidium est. Quod enim in corpore materialis agit gladius, hoc in anima detrahentium perficit lingua. O quam frequenter in cordibus murmuria audientium proximorum, quae optime vigebat in Christo, exstincta est fama?.... Consuevit hoc vitium etiam vigere in bonis, atque sub zeli specie jugiter captivare improvidos. Innumeri sunt qui potius in aliis, quam in se zelare divinum honorem videntur. Zelum Dei habent hujusmodi, sed non secundum scientiam. Rectus autem et commendabilis zeli iste est ordo, ut quisque prius se, deinde corripiat ceteros* [1]).

Merito ergo Spiritus S. dixit: *Abominatio est hominum detractor* [2]). Hinc S. Joannes Climacus narrat, Abbatem quendam expulisse detractorem e monasterio, et misisse eum ad carcerem, dicendo, *par non esse, ut in coenobio gemini sint daemones, spectabilis alter, et alter inaspectabilis (hoc est alter diabolus et alter homo similis diabolo)* [3]).

Plus S. Franciscus, alioqui mitissimus et commiseratione plenus, etiam erga bestias, ut scribit S. Bonaventura in ejus vita, »detractionis vitium, inimicum fonti pietatis et gratiae, tanquam serpentinum abhorrebat morsum et atrocissimam pestem,

---

[1]) De vita solitar. c. IV. [2]) Prov. XXIV, 9. [3]) Scal. parad. grad. IV. col. 48.

et piissimo Deo abominabile fore firmabat, pro eo, quod detractor animarum sanguine pascitur, quas gladio linguae necat. Nonnunquam vero eum, qui fratrem suum famae gloria spoliaret, judicabat habitu spoliandum, nec ad Dominum oculos posse levare, nisi prius quod abstulerat reddere pro posse curaret. *Tanto major est,* ajebat, *detractorum impietas, quam latronum, quanto lex Christi, quae in observantia pietatis impletur, magis animarum quam corporum nos adstringit optare salutem*« [1]). Pondera singula verba mitissimi Sancti, adeo detractiones improbantis.

Hinc et S. Basilius et eum qui detrahit, et qui auscultat, exterminandos esse a societate reliquorum censebat [2]).

Da ergo operam, ne talium sis e numero, et talium conversationem vita. *Est quippe detractor,* inquit S. Justinianus, *mortifera sagitta emissa de pharetra Satanae ad perdendas animas* [3]). Merito dixit, detractores perdere animas: tum quia, uti dixit Abbas Hyperichius: *Sicut susurrans serpens ad Evam de paradiso ejecit eam, sic qui proximo suo obloquitur, audientis se animam perdit* [4]); tum quia saepenumero perdunt proprias animas peccando mortaliter.

Quod ut intelligatur, notanda est communis

---

[1]) Leg. S. Franc. c. VIII. post. init. [2]) Reg. brev. tr. interrog. XXVI. [3]) De discipl. et perfect. monast. convers. c. XXII. med. [4]) Vit. Patr. l. V. libel. IV. n. 52.

omnium theologorum [1]), nullo discrepante, doctrina, ipsi lumini naturali conformis, docentium, gravitatem laesionis famae, quae sit peccatum mortale, non tam desumi ex gravitate rei, quae de alio dicitur, quam ex magnitudine malae opinionis, quae ingeneratur in audiente de illo, cui detraxisti, et ex gravitate aliorum nocumentorum, quae passus est vel patitur is, cui sic detraxisti, et ex dignitate personae, cui sic detrahendo nocuisti, quod contingit etiam vera crimina dicendo, si per id fama diminuatur alterius, ut bene docet cum omnibus aliis theologis S. Thomas [2]).

Ideo etsi fornicatio vel adulterium sit mortale peccatum, non peccares mortaliter, si diceres — non intendendo graviter ei nocere — esse commissum ab aliquo, qui de talibus peccatis gloriatur, et ducit sibi honori, si sit et habeatur pro dedito luxuriae peccatis; at mortaliter peccares, si de honesta matrona vel religiosa persona, habita pro bona et spirituali et casta, diceres alteri, quod sit dedita veniali alicui lasciviae, vel quod soleat mentiri aut aliquod aliud veniale peccatum committere, vel quidpiam aliud, sive quoad doctrinam, sive quoad dotes naturales, prudentiam aut alios gubernandi vel cum aliis procedendi in conversatione vel spi-

---

[1]) *Thom.* 2. 2. q. LXXIII. a. 1, 2, 3; q. LXXIV. a. 2: q. LXXVI. a. 4; *Valenz.* t. III. disp. V. q. XVII. p. 2; *Rebell.* I. p. de oblig. just. q. II. n. 2; *Less.* l. II. c. XI. dub. 3. n. 13. sq; *Tolet.* l. V. c. 63. *Navar.* in Manual. c. XVIII. n. 21. sq. [2]) 2. 2. q. LXXIII. a. 1. ad 3.

ritu modum; si, inquam, ex tali narratione de aliquo minueretur notabiliter aestimatio seu bona opinio de illius virtute, vel spiritu, vel doctrina, vel prudentia, vel talentis gubernandi, aut alia re simili: et multo magis, si ex hac mala opinione de aliquo causata ex tali narratione seu detractione aliis redderetur exosus notabiliter, ita ut propter hoc nolint cum eo conversari, ab illo regi vel dirigi, cum ipso vivere, illi subesse, sed potius velint ejus conversationem declinare, vel fugere, vel alias ab eo avertere, et illi adhaerentes vitare: certissimo peccares mortaliter, si ex venialibus defectibus, aut tantum naturalibus, aliquis aliis ita redderetur exosus; et multo magis, si ipse ob talem sui infamationem notabiliter confunderetur, et non auderet comparere, factus, ut dicitur, fabula aliorum. Ideo S. Chrysostomus, confusionem fratris causatam vel optatam ait esse caede graviorem [1]). Et adhuc multo magis, si aliquis ob talem diffamationem creditam ab aliis judicaretur ineptus ad officia religionis vel reipublicae primaria, quae alias obivit cum laude, vel saltem sine majorum vituperatione; et adhuc multo magis, si esset persona alias habita pro persona magnae virtutis vel doctrinae vel prudentiae: quia, ut ait S. Thomas: *Peccatum fit gravius ex hoc, quod peccatur in personam magis Deo conjunctam vel ratione virtutis, vel ratione officii* [2]).

---

[1]) In Joan. hom. XXXVII. n. 3. [2]) 1. 2. q. LXXIII. a. 9. in corp.

Nec valet 1) excusatio dicentium, se non intendisse nocere tali personae: quia, ut S. Thomas cum omnibus theologis docet, *si nocumentum per se sequatur* [ex supra dicta narratione seu detractione] *licet non sit intentum, nec praevisum, directe peccatum aggravat* [1]: hoc est, facit mortale, quod alias esset veniale, si ex venialibus peccatis alterius narratis non secuta fuisset notabilis jactura famae illius, et alia notabilia nocumenta supra commemorata.

Nec 2) excusantur a peccato mortali talibus modo supradicto detrahentes, eo quod sic laesi non turbentur, nec irascantur detractoribus suis, et se laedi habeant pro beneficio: quia nec Christus Dominus, nec SS. Martyres, nec alii servi Dei turbabantur aut irascebantur, sed amabant inimicos suos; hi tamen non ob id excusabantur a peccatis mortalibus. Ut enim S. Thomas dicit: *Ille qui infert injuriam virtuoso, quantum est in se turbat eum et interius et exterius; sed quod iste interius non turbetur, contingit ex ejus bonitate, quae non diminuit peccatum injuriantis* [2]).

Quocirca, ne perdas animam tuam per peccatum mortale spiritualiter necans animam, abstine ab omni detractione, etiam in materia peccatorum venialium: ne quando minus putas, etiam ea adscribendo alteri, graviter ei noceas.

Atque hoc ipso motivo usum sanctae memoriae P. N. Generalem Claudium Aquavivam memini me

---

[1]) Q. cit. a. 8. [2]) Q. cit. a. 9. ad 1.

audivisse Romae in quadam exhortatione magno cum fervore disserentem contra vitia linguae, et dixisse, consultos esse a se doctissimos in Societate nostra theologos, eosque respondisse, nulla alia in re facilius in Societate posse Deum peccatis mortalibus offendi, quam talium materia sermonum. Cum autem S. Chrysostomus [1]) et S. Thomas [2]) dicant paucos esse, vel nullos, qui non sint detractionibus dicendis obnoxii, tanto magis laborandum est tibi, ne tu hoc universali vitio labores, sed nil de alio ulli aequali dicas, quod nolles dici de te, vel de carissimo tibi amico; quod difficile non erit, si omnes, ut Deus jubet, sicut te ipsum amaveris; et si in unoquoque, juxta praescriptum regulae 29. Summarii, Christi personam consideraveris, qui dixit: *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis* [3]), et: *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei* [4]); et si tuos defectus tantum et magis, quam alienos censuraveris, juxta consilium Abbatis Sisois: *Frater interrogavit Abbatem Pastorem, dicens: Perturbatio mihi fit et volo derelinquere locum istum. Et dicit ei senex: Pro qua causa: Et ille dixit: Quia audio verba de quodam fratre, quae me non aedificant. Et dicit ei senex: Non sunt vera quae audisti. Et dixit ei: Etiam, Pater, vera sunt: nam frater qui dixit mihi, fidelis est. Et respondens dixit: Non est fidelis qui tibi dixit: nam si esset*

---

[1]) De compunct. l. I. n. [2]) 2. 2. q. LXXIII. a. 2. ad 2. [3]) Matth. XXV, 40. [4]) Zach. II, 8.

fidelis, nequaquam diceret tibi talia: Deus autem audiens vocem Sodomorum non credidit, nisi descenderet videre oculis suis (Gen. XVIII, 21). Et ille dixit: Et ego vidi oculis meis. Haec audiens senex respexit in terram, et tenuit parvam festucam, et dicit ei: Quid est hoc? Et ille respondit: Festuca est. Iterum intendit senex ad tectum cellae, et dicit ei: Quid est hoc? Et ille respondit: Trabs est, quae portat tectum. Et dixit ei senex: Pone in corde tuo, quia peccata tua sunt sicut trabs haec, illius autem fratris, de quo loqueris, velut haec parva festuca. Audiens autem Abbas Sisois hunc sermonem admiratus est et dixit: Abbas Pastor....velut pretiosus lapis, ita verba tua gratia et gloria plena sunt [1]).

IV°. Vitandus est aspectus curiosus, etiam momentaneus, feminarum in illis occasionibus, in quibus nullo modo est tibi necessarius: tum quia id Deus in sacra Scriptura nobis praescripsit: tum quia Sancti illum vitarunt summo studio: tum quia innumeri per hanc curiositatem fecerunt jacturam gratiae et amicitiae Dei et propriae salutis.

Ideo Spiritus sanctus monet: *Virginem ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius* [2]). Cur? Quia, ut ait S. Macarius: *Facies mulieris sagitta est truculenta, infigit vulnus in animam* [3]). *Etenim*, inquit S. Chrysostomus *non impudicae solum, sed pudicae etiam mulieris oculus animum*

---

[1]) Vit. Patr. l. V. libel. X. n. 37. col. 600. [2]) Eccli. IX, 5. [3]) Epist. ad monach.

ferit [1]). Quocirca S. Simeon Stylita Antiochenus, ut scribit S. Gregorius Turonensis, »nullam unquam mulierem post conversionem oculis intentis aspexit; postquam vero columnae editiori se sanctitate fervens invexit, non modo extraneae mulieri, verum etiam nec propriae matri se videndum permisit« [2]). De S. Francisco scribit S. Bonaventura, »eum quasi nullam mulierem recognovisse in facie. Non enim securum esse putabat, earum formarum introrsus haurire imagines, quae possunt aut edomitae carnis excitare igniculum, aut pudicae mentis maculare nitorem« [3]).

P. noster Bernardinus Realinus, et P. Ludovicus de Ponte, et B. Alphonsus Rodriguez, etsi hic fuerit janitor fere per quadraginta annos continuos, nullam feminam de facie noverat, et cum semel indeliberate altius attollens oculos casu feminae vultum aspexisset, etsi statim faciem avertisset, valde ob eam rem a beatissima Virgine Maria reprehensus fuit, ut scribitur in ejus vita [4]).

Quin et meliores ethnici hujus modestiae praeclara reliquerunt pudicitiae exempla. Scipio Romanus cum Hispanicam Carthaginem armis cepisset, captivas puellas praecipuae pulchritudinis barbaris restituit, »ne in conspectum quidem suum passus adduci, ne quid de virginitatis integritate delibasse saltem vel oculis videretur« [5]). Alexander magnus

---

[1]) De Sacerd. l. VI. c. 8. [2]) De gloria Confess. c. XXVI. [3]) Leg. c. V. [4]) L. I. c. 18. [5]) *L. J. Florus* Hist. l. XI. c. 6; cfr. *Polyb.* hist. reliqu. l. X. c. 18. 19.

victo Dario, ejus uxorem, eximia forma feminam, nec aspicere voluit. Et ad Parmenionem scribens: »Ego, inquit, non solum non vidisse inveniar Darii uxorem aut videre cogitasse, sed nec verba facientes de ejus forma audire sustinuisse«. *Ex inordinato enim oculorum aspectu imprudentis transfigitur cor*, inquit S. Laurentius Justinianus; *vidit Propheta, homo secundum cor Dei, mulierem.... atque immodico de illa exardescens amore, voluptatis passione prostratus, homicidium pariter et adulterium perpetrare non timuit* [1]). Hoc modo plurimos ad gravissima lapsos scelera, nimis frequens multorum experientia fidem facit. Ideo iterum Spiritus S. monet: *Averte faciem tuam a muliere compta, et ne circumspicias speciem alienam* [2]).

V°. Vitanda est tibi conversatio cum iis, quos expertus es, tibi malis consiliis nocuisse, vel avocando te a bonis operibus, vel aliena bona facta coram te improbando et irridendo, vel inducendo te ad violandas regulas, etiam minimas, quae in religiosis discolis notari et a Superioribus puniri solent. Hoc est antiquum monitum a Spiritu S. saepius in sacris literis datum: *Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis.... Ne ambules cum eis; prohibe pedem tuum a semitis eorum* Et alibi: *Discede ab iniquo, et deficient mala abs te* [4]). Et iterum: *Omnis homo simili sui sociabitur. Si communicabit lupus agno aliquando, sic*

---

[1]) De vita solitar. c. VII. [2]) Eccli. IX, 8. [3]) Prov. I, 10. 15. [4]) Eccli. VII, 2.

peccator justo[1]). *Modicum enim fermentum*, inquit Apostolus, *totam massam corrumpit*[2]); et: *Denuntiamus vobis, fratres, in nomine Domini nostri Jesu Christi ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate*[3]). Quis autem dubitat, eum inordinate ambulare, qui regulas et ordinationes non servat, idque passim, et ea non facit quae ordinem domesticum et disciplinam concernunt? Quin et ethnici hoc suadent: »Serpunt enim, inquit Seneca, vitia et in primum quemque transsiliunt et contactu nocent. Itaque ut in pestilentia curandum est, ne correptis jam corporibus et morbo flagrantibus assideamus, quia pericula trahemus afflatuque ipso laborabimus: ita in amicorum legendis ingeniis dabimus operam, ut quam minime inquinatos assumamus. Initium morbi est aegris sana miscere«[4]).

Quocirca quod S. Isidorus Pelusiota Lampetio Episcopo suasit in alio genere, hoc sibi scriptum putet quivis religiosus bene conversari cupiens: *Profanos homines, vir optime, ac divinis sermonibus indignos observa, qui ea etiam persaepe, quae omni commendatione ac laude digna sunt, risu prosequuntur; quibus autem fas est, iis loquere*[5]). *Omnes diligendi sunt in Christo, boni in Christo, mali propter Christum*, inquit S. Laurentius Justinianus. *Cum multis amicitia custodienda est, moderata autem conversatio cum solis Deum timen-*

---

[1]) Eccl. XIII, 20. 21. [2]) I. Cor. V, 6. [3]) II. Thess. III, 6. [4]) De tranquill. animi c. VII. §. 2. [5]) L. II. ep. 211.

tibus et virtuose viventibus habenda est. Qui enim cum discolis conversari voluerit, procul dubio fiet illorum similis[1]), — praesertim si multos tales habeat socios. *Difficile enim est*, ut ait S. Petrus Chrysologus, *adversus instructas delinquentes turbas, aciem quandam disponere sanctitatis*[2]). *Saepe mens*, inquit S. Augustinus, *nitens pergere in Deum, concussa in ipso itinere trepidat: et plerumque propterea non implet bonum propositum, ne offendat eos, cum quibus vivit, alia bona peritura et transeuntia diligentes atque sectantes*[3]). Ideo S. P. N. Ignatius tractans ex professo de conservatione nostrorum in iis, quae ad animam et profectum in virtutibus pertinent, primo loco praescribit: ut abjiciatur omnis communicatio per verba et scripta cum iis, qui in proposito sibi instituto intepescendi causa esse possent; et ut in via spirituali incedendo, cum iis dumtaxat personis, et iis de rebus agant, quae juvent in divino obsequio ad id consequendum, quod in ingressu Societatis sibi ut scopum praefigebant[4]): scilicet perfectionem, quam impossibile est assequi, conversando cum violantibus saepe et deliberate regulas, cum loquentibus de nugis et rebus ore religioso indignis, et bona aliorum facta carpentibus vel irridentibus. *Vidi*,

---

[1]) De discipl. et perfect. monast. convers. c. XXII.
[2]) Serm. CVII. in fine. [3]) Enarr. in. Ps. VI. n. 9.
[4]) Const. p. III. c. I. §. 2.

inquit S. Joannes Climacus, *innocentes ab improbis improbitatem hausisse, demiratus quomodo tam cito simplicitatem naturae suae, et innocentiae praerogativam potuerint amittere* [1]). Sed non mirum, quia, ut ait S. Dionysius Areopagita: *Non licet summe contraria simul participare, neque communicationem aliquam cum uno habenti divisas habere vitas, si unius stabilem praeferat participationem* [2]). »Sumuntur enim, inquit Seneca, a conversantibus mores, et ut quaedam in contactos corporis vitia transsiliunt, [scilicet scabies, lepra et similia] ita animus mala sua proximis tradit« [3]). Nec est quod tuae fidas virtuti: quia, ut scribit S. Isidorus Pelusiota: *Quid rupe durius fingi potest? Quid item aqua mollius, et quidem aquae guttula? Et tamen assiduitas naturam vincit. Quod si natura, quae aegre dimoveri potest, dimovetur, idque quod minime debebat, perpetitur, qua tandem arte ac ratione voluntas, quae facile movetur, a consuetudine non vincatur et evertatur?* [4]). Et quamvis non semper noceat statim talium conversatio, tamen, ut prudenter observavit Seneca: »Etiamsi non statim proficit, semina in animo relinquit sequiturque nos, etiam cum ab illis discessimus, resurrecturum postea malum« [5]). Imbuta enim mens pravis consiliis et dictaminibus a religioso spiritu alienis, studia mortificationis, modestiae, collocutionum spiritualium,

---

[1]) Scal. parad. grad. XXIV. col. 306. [2]) De hier. eccl. c. II. p. III. §. 6. [3]) De ira l. III. c. 8. §. 1. [4]) L. II, ep. 284. [5]) Ep. CXXII. §. 8.

observantiae regularum impetentibus, habet illa perniciosa semina, ex quibus pullulant et violationes regularum et christianae charitatis, et alia peccata. *Nam solent in* [talibus] *conversationibus,* ut peritus rerum scribit S. Laurentius Justinianus, *intermisceri vaniloquia, scurrilitates, detractiones, et effraenati risus, per quae mens distrahitur, compunctio dissolvitur, gratia subtrahitur, proximus male aedificatur, oratio confunditur, confidentia amittitur, conscientia obtenebratur, atque pretiosissimum tempus inutiliter consumitur... Frigescentes autem in amore Christi, et omne opus bonum tepidi derident haec... Tales namque sibi ipsis parcentes, quia ignorant, quae Dei sunt, carnem spiritui subigere non curant. Propterea quoniam interiora solatia et spiritualia patrocinia non habent, carere exterioribus non patiuntur. Ideo....jocis delectantur, spatiari desiderant, nova semper audire et videre appetunt: et aliorum negotia percunctari sedula curiositate non cessant. Nec advertunt hujusmodi, quod tanto vehementius interius infirmantur in spiritu, quanto magis exterioribus pascuntur: et quodam hydropis morbo laborantes, quo avidius labilem hujus vitae delectationem hauriunt, eo acrius ipsam sitire coguntur* [1]). Et quamvis nullum esset periculum aliud ex tali conversatione, tamen ut S. Isidorus Pelusiota monuit: *Providendum est, ne quidem existimemur ea facere, quae facere turpe est, nec eos, qui ea faciunt,*

[1]) De discipl. et perfect. monast. convers. c. XXII.

in familiarium ac necessariorum numero habeamus. Metuendae sunt enim vituperationes, etiamsi falsae sint. Quandoquidem plerique veritatis ignari, ad famam oculos conjiciunt, atque unumquemque talem esse judicant, quales eos esse conspiciunt, qui cum eo versantur, non a rebus dumtaxat, sed etiam ab iis, qui cum eo consuetudinem habent, calculum ferentes [1]).

Non curandum autem est, quod multi sint tales, et pauci spirituales; his te adjunge; bona est ista singularitas, quam commendat S. Augustinus: *Perit*, inquit, *haec multiplicitas, et singularitas tenetur in sanctis.... Singulares ergo et simplices, id est, secreti a multitudine ac turba nascentium rerum ac morientium, amatores aeternitatis et unitatis esse debemus, si uni Deo et Domino nostro cupimus inhaerere* [2]).

Quae autem vitanda sint in conversatione cum spiritualibus personis dicam infra [3]).

Verum, si maneas inter malos saeculares, aliosve, tunc noli erubescere Evangelium, et sanctum Noe imitare, qui vivens in medio sceleratorum, vitam duxit sanctam et mirum in modum commendatam a Deo, ab improborum conversatione diversam. Hinc illud ejus encomium Moysi dictatum divinitus legimus: *Noe invenit gratiam coram Domino, vir justus atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulavit* [4]), quam-

---

[1]) L. III. ep. 124. [2]) Enarr. in Ps. IV. n. 10. [3]) Cap. XIX. sub IV[0]. [4]) Gen. VI, 8. 9.

vis: *Omnis caro corruperat viam suam super terram* [1]). Quod ponderans S. Chrysostomus pulchre discurrit, et armat nos ad omnes humanos despiciendos respectus, et ad malos nostris bonis exemplis et consiliis ad vitae melioris rationem inducendos. *Hinc,* inquit, *discimus, nobis, si sobrii fuerimus* [hoc est, nobis invigilantes: hac enim phrasi S. Doctor id explicat saepe] *et non desides, non solum nihil nocere si inter medios malos versemur; sed id nos reddere virtutis studiosiores. Nam ideo benignus Deus sic dispensavit, ut simul essent boni et mali, quo malorum subenervaretur malitia, bonorumque virtus clarius elucesceret: et desides a studiosiorum* [id est, meliorum] *consuetudine plurima commoda lucrifacerent, modo vellent. Hic cogites velim, quantae virtutis fuerit ille justus (Noe), quomodo in tanta multitudine, quae magno impetu in malum ruebat, solus ipse diversa ambulavit via, virtutem malitiae praeferens: ac neque aliorum consensus, nec tanta frequentia reddebat eum ad virtutis iter segniorem: sed jam prius implebat, quod beatus Moyses postea dicturus erat: »Non eris cum pluribus in malitia« (Exod. XXIII, 2). Et quod magis admirabile, cum multos haberet, imo omnes, qui ad malum et ad prava opera cohortarentur, et nullus esset qui ad virtutem induceret: tanta ille in eam vehementia ferebatur, ut viam tantae multitudini oppositam et contrariam teneret; neque timebat,*

[1]) Ibid. v. 12.

aut verebatur pravorum concordiam, neque illi tale quid evenit, quale solet ignavis accidere, qui si quando viderint multos simul concurrere, hoc velamen et hanc occasionem suae ignaviae praetexunt, ac dicunt: Cur ego novum quidpiam et singulare praeter illos omnes aggressurus sum, adversarius tantae multitudini, et cum tanto populo bellum suscepturus? Numquid illis omnibus justior sum? Quae utilitas foret tantarum inimicitiarum? quod commodum tanti odii? Nihil hujusmodi inutiliter cogitabat, neque animo versabat: sed et hoc, quod postea a propheta dictum est, prius ipse implebat: »Melior est unus faciens voluntatem Domini, quam innumeri praevaricatores« (Eccli. XVI, 3). Num societas, inquit, multitudinis ad malum ruentis et simul rapientis a cruciatu me poterit eripere? Sciebat enim, sciebat liquido, quemque pro sua salute rationem redditurum esse, neque unquam fore, ut alio peccante alius poenam sustineat [in altera vita], *vel mercedem sortiatur. Idcirco justus quasi scintilla in medio mari versans, non solum non exstinguebatur, sed quotidie fulgidiori luce prodibat, omnes suis operibus docens* [1]). Sis et tu talis scintilla. Ne sinas te plurium non bonis exemplis opprimi: si enim sic perseveraveris in medio discolorum, spirituali modo vivens, fulgebis instar multiplicis solis in perpetuas aeternitates in oculis Dei et Sanctorum. Sustine et exspecta; veniens veniet ille, et non tardabit, qui reddit unicuique juxta ope-

[1]) In Genes. hom. XXII. n. 1.

ra sua, et nunc in conscientia tua, et postea in puncto mortis dicet tibi: Quia non erubuisti me coram hominibus, nec ego erubescam te coram Patre meo coelesti, et coram Angelis ejus. Veni, dilecte mi! veni, accipe regnum paratum tibi ante tempora saecularia. Interim dum displicebis discolis, noli curare. Nam, ut ait S. Gregorius Papa: *In tanto se quis aestimet omnipotenti Deo placuisse, quanto se perversis hominibus displicuisse cognoverit* [1]).

VI°. Vitanda est tibi consuetudo peccandi interne et externe venialiter cum plena deliberatione, ita, ne deinceps unquam deliberata voluntate Deum offendas ullo veniali peccato, sed — cum sine peccato aliquo haec vita duci non possit — sint omnia tua peccata ex mera fragilitate et subreptione commissa, aut ignorantia non crassa. Valde enim dedecet hominem spiritualem offendere Deum deliberate. *Indignum prorsus,* inquit S. Laurentius Justinianus, *et a ratione alienum est, ut anima voluntarie delinquens,* [id est deliberate] *et propriam non agnoscens deformitatem copuletur Verbo Dei et coelesti sponso* [2]). Cur? Respondet Ernaldus Abbas: *Non pertinet, Domine, ad te, nec de tuis est, qui te non diligit, nec diligit te, qui scienter offendit* [3]), hoc est, deliberate, agnoscendo se aliquid male facturum, et non cessando a tali opere vel

[1]) Epist. l. X. ep. 36. [2]) De casto connub. c. XXI. col. 7. [3]) De cardin. operib. Chsti. (olim S. Cypriano attrib.) §. IV. de baptismo, sub finem.

sermone. *Quis filius*, inquit S. Basilius, *cujus is scopus sit, ut complaceat patri, ipsum in rebus majoribus exhilaratum, tristitia ob res minoris momenti afficere volet? Quod etiam multo magis praestabit, si meminerit Apostoli, qui dicit: »Et nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis.« (Eph. IV, 30)* [1]). Quo in loco Apostolus recenset etiam venialia peccata, et nominatim ponit sermonem non aedificativum, et clamosum.

Nec videri debet impossibile abstinere ab omni deliberato peccato, quia contrarium experientia docet in multis Dei servis. Noster B. Joannes Berchmans nunquam in Societate deliberate peccavit; P. Ludovicus de Ponte per ultimos viginti suae vitae annos nunquam deliberate ullum peccatum veniale commisit, et voto se obstrinxerat illud eo modo nunquam committendi; Cardinalis Bellarminus tota vita sua nunquam se deliberate peccasse, cuidam sacerdoti dixit non multo ante mortem, ut in vitis eorum scribitur. Possumus ergo et nos Dei gratia adjuti, ei cooperando, a similibus abstinere peccatis. Illi enim, qui abstinuerunt ab iis, non erant naturae a nostra diversae, nec in feliciori statu collocati. *Omnes quippe*, ut ait S. Gregorius Nazianzenus, *ex eadem terra et massa coagmentati sumus, eamdemque vitii arborem* [in primis parentibus] *gustavimus* [2]). Sicut autem illi, eodem vitio originali in-

---

[1]) Prooem. in Reg. fus. tract. n. 3. fin. [2]) Or. X. in seipsum n. 2.

fecti, divinae gratiae et suae cooperationis pennis evolarunt ad exclusionem omnium deliberate commissorum peccatorum et animae praeservationem ab illis, ita et nos similibus freti praesidiis hoc ipsum praestare poterimus. *Sicut enim,* inquit S. Chrysostomus, *aliquis de sensibili thesauro saepe unam gemmam recipiens, magnas sibi parat divitias: ita et hic justorum virtutes, modo attendere voluerimus, tantam nobis utilitatem afferre possunt, ut ad imitandum eos incitemur. Sic enim poterimus et nos eundem, quem illi, favorem Dei consequi. »Neque enim personarum acceptor est Deus, sed in omni gente qui timet Deum et operatur justitiam, acceptus ei est (Act. X, 34. 35.): ita ut, si voluerimus, nihil sit quod prohibeat, quin tanto vel etiam majori potiamur auxilio* [1]).

VII°. Vita omnem negligentiam et peccatum in actionibus ad Dei immediatum cultum spectantibus, uti est: meditatio, rosarium, missa, litaniae. *An nescis,* inquit S. Ambrosius, *quam grave sit in oratione contrahere peccatum, ubi speras remedium? Certe Dominus per Prophetam docuit hoc grave esse maledictum, dicens: »Et oratio ejus fiat in peccatum« (Ps. CVIII, 7.)* [2]). Et alio in loco: *Quando magis ab injustis operatis ac pravis studiis abstinere debemus, quam tunc, quando Dei justitiam deprecamur?* [3]) Quia, ut scribit S. Chrysostomus: *Quantum discrimen inter decem millia*

---

[1]) In Genes. hom. LX. n. 3. [2]) De Cain et Abel l. I. c. IX. n. 37. [3]) Op. cit. l. II. c. VI. n. 21.

talenta et centum denarios: tantum imo nullo majus est discrimen inter peccata in hominem et in Deum [1]).

Porro magno animo sine pusillanimitate curationi horum et omnium aliorum peccatorum, ac spiritualium animae morborum, incumbendum est: quia facilius et suavius ii possunt curari, quam alii morbi. »Corporis enim curatio, ut ait S. Chrysostomus, et medicaminum et argenti indiget; animae vero facile parabilis et impendio carens. Et carnis quidem natura multo cum labore ab infestantibus liberatur vulneribus; etenim ferrum saepe et amara medicamina adhibere necessarium est: in anima vero nihil est tale, sed tantum velle et eligere sufficit, et omnia correcta sunt. Et hoc fuit opus Dei providentiae, quoniam ex corporis imbecillitate non multum fieri nocumentum potest. Nam si etiam non aegrotemus, mors superveniens ipsum corrumpet, et omnino dissolvet. Totum vero nobis in animi sanitate situm est.... Quam igitur excusationem habebimus? quam veniam? cum corporis quidem, ubi argentum erogatur, et medici accersuntur, et multus dolor sustinetur, tantam geramus curam, praecipue cum non magnum nobis damnum ex illius aegritudine proveniat; animam vero contemnamus, et hoc, cum nec argentum erogare, nec alios perturbare, neque dolores sustinere debeamus, sed absque his omnibus, eligendo tantum et volendo, omnem ipsius correctionem facere possimus, et optime sciamus?«

---

[1]) In Matth. hom. LXIII. al. LXII. n. 1.

Danda igitur est opera, ut strenue defectus hos, foedantes valde animam nostram, ab ea excludamus, qui praeter alia mala valde obfuscant intellectum nostrum, ne clare agnoscamus: quid nobis faciendum sit, quidve fugiendum; unde caeco quodam modo in via Dei incedimus, semper haerentes in luto imperfectionum nostrarum: quia illarum foeditatem non agnoscimus, et ad vitae sanctimoniam non progredimur, nec ejus desiderio tenemur, depravatum habentes gustum ab iisdem imperfectionibus et peccatis. *Quemadmodum enim*, ut ait S. Gregorius Nyssenus, *corporis oculis, si acutior aliqua distillatio nervos, videndi spiritum subministrantis, perturbaverit, amicae sunt tenebrae, propter similitudinem, quam obtusi jam atque hebetes cum illis habent: at si curatione aliqua conficiatur, ac deleatur id, quod nervis illis officiebat, lucem oculi rursum ut propriam sibique congruentem amant, quae pupillae purae, et per se videnti commiscetur: eodem modo, posteaquam inimici fraude vitium instar cujusdam distillationis defluxit in oculos animi, vitam tenebricosam ut sibi propter aegritudinem convenientem adamarunt. Quisquis enim male agit, odit lucem, ut vox divina testatur. (Joan. III, 30.) Malo autem consumpto, et rursus ad nihilum redacto, natura eo depulso, quod animi oculos hebetabat, cum voluptate lucem iterum intuetur* [1]).

[1]) Or. de mortuis. col. 15. D.

CAPUT IX.

Excitandum in octiduana recollectione et quotidianis meditationibus ardens virtutum desiderium, et aliquot ex illis recensentur peculiari modo quaerendae.

Quoniam vero altera conditio renovandae nostrae animae imaginis est reddere eam Deo quam simillimam, excitandus est animus in omnibus meditationibus nostris ad ardens desiderium omnis virtutis. *Qui virtutem amant*, inquit S. Isidorus Pelusiota, *ac sapientiae studio tenentur, inexplebili quadam cupiditate flagrantes divinam hanc facem in animis suis excitare minime intermittunt, hoc quidem pro serio opere, alia autem omnia pro rebus levioris operae ducentes. Ac propterea parva ipsis esse videntur, quae alii magna et ampla existimant: atque ea de quibus alii inter se digladiantur, risui habent, et quae alii suspiciunt, pedibus proculcant, coelestiaque sola expetunt. Cum igitur ad hujusmodi chorum nomen tuum adscribere in animum induxeris* [scribit Strategio monacho], *aequum profecto fuerit, te insomnem animae oculum conservare* [1]), nimirum, ad attendendum studio virtutum. Siquidem supra vidimus, nos Deo reddi similes per virtutes, quas S. Gregorius Nyssenus appellat *vivos colores, quibus in nobis nativa Dei forma exprimitur* [2]). Virtutes porro per

---

[1]) L. III. ep. 324. [2]) De hom. opific. c. IV.

desiderium earum ardens et efficax accersuntur. *Is enim Domini nostri mos est*, inquit S. Chrysostomus, *ut quoties videt animam aliquam multo desiderio studioque maximo spiritualibus inhiantem, liberaliter illam gratia et opulentis donis suis locupletet* [1]). Merito ergo S. Laurentius Just. dixit, *ad perfectionis fastigium virtutum desiderio impellente pertingi: In ipso enim prorogatur gratia.... dimicandi subsistit peritia: per ipsum additur robur, adversariorum debilitantur vires, virtus augetur, spe erigitur animus, patentque coelestia.... Virtutis concupiscentia....praecedente ac concomitante sancti naturam vicerunt, superaverunt daemones, debellaverunt mundum, subegerunt seipsos... diripuerunt coelum...imitatores facti sunt Dei... Virtutis desiderium praecellit miraculorum operationem, prophetiae donum, linguarum genera, interpretationem sermonum, sanitatum gratiam, naturalium scientiam et cognitionem coelestium, multi talibus ornati perierunt, virtutibus autem nemo. Semper virtutum desiderio munitus incedat, qui vi coelorum conatur diripere regnum* [2]). Hinc S. Gregorius Nazianzenus, primo post Dei auxilium loco, ponit desiderium, causam sui profectus. *Ita demum*, inquit, *porro progrediebamur Deo et desiderio adjutoribus utentes* [3]).

Quocirca de eodem desiderio disserens S. Bernardus ait: *Magnum bonum quaerere Deum. Ego*

---

[1]) In Gen. hom. IV. n. 1. [2]) De inter. conflictu c. IX. vers. fin. [3]) Or. XLIII. in laud. Basil. §. 20.

hoc nulli in bonis animae secundum existimo. Primum in donis, ultimum in profectibus est. Virtutum nulli accedit, cedit nulli. Cui accedat, quam nulla praecedit? cui cedat, quae omnium magis consummatio est? Quae enim virtus adscribi possit non quaerenti Deum, aut quis terminus quaerenti Deum... Non pedum passibus, sed desideriis quaeritur Deus. Et utique non extundit desiderium sanctum felix inventio, sed extendit... Oleum magis est illi: nam ipsum flamma. Sic est [1]).

Et ita experientia docet, omnibus illis, quos Deus non repente, sed per decursum temporis, ad magnam sanctitatem evexit, prius illis indidisse ardentissimum desiderium virtutis, quod tamen per nostram cooperationem his modis acquiritur:

I°. Ardenti et frequenti ejus petitione. Ideo B. Petrus Faber, primus S. Ignatii socius, inter monita Sodalitati Parmensi a se relicta, hoc quoque reliquit: *Ubi Sacerdos Christi Corpus rite confecerit, aut excitatum ab ara sublime populo praemonstrarit, tum vos....quod in summis numerandum est donis, petetis a Deo famem sitimque justitiae* [2]).

II°. Excitatur hoc desiderium lectione librorum spiritualium affectui servientium, praesertim eorum, qui vitas Sanctorum continent.

III°. Excitatur piis colloquiis, ut patet experientia.

---

[1]) In Cantic. serm. LXXXIV. n. 1. [2]) *Orland.* Hist. Societ. l. II. n. 109. & Vit. B. Petri l. I. c. 7.

IV°. Meditationibus vitae Christi quotidianis accurate factis.

V°. Devota sumptione sanctissimae Eucharistiae, et post eam sumptam diuturna cum ea conversatione.

VI°. Consideratione utilitatis, necessitatis virtutum et praestantiae earum; per has enim intime et substantialiter Deum participamus.

Si quaeras: quae maxime virtutes nos faciunt similes Deo?

Respondeo: Omnes quidem nos similes Deo reddere, juxta illam S. Gregorii Nazianzeni sententiam: »Bene sed agendo, si voles fieri Deus«: a Sanctis tamen hae maxime dicuntur nos assimilare Deo:

1°. Puritas conscientiae, sita in evacuatione vitiorum omnium, praesertim carnalium. Haec enim vitiorum seu affectuum vacuitas, e mente S. Basilii, facit, ut Dei imaginis, ad quam homo conditus est, dignitatem ac pulchritudinem per peccatum amissam recuperemus, Deoque similes efficiamur [1]). *Quamobrem,* ut jam prosequitur idem S. Doctor, *si desideremus animae nostrae characterem per affectuum vacuitatem ad Dei similitudinem componi et exornari....attendamus nobismetipsis, ne forte quidpiam promissione indignum perpetremur.* Et paulo inferius: *Ad haec igitur respiciat oportet, qui saeculo nuntium remisit, ut Dei vas, seipsum scilicet, nullo prorsus vitioso usu coin-*

[1]) Serm. ascet. (post Moral.) I. n. 1.

quinet. Illud autem maxime est considerandum, quod qui vitam angelorum eligit, transtulerit se ad incorpoream vitae rationem, cum naturae humanae terminos transgressus sit.... Quamobrem qui jam in angelicae dignitatis ordinem transivit, si humanis vitiis inquinetur, similis est pantherae pelli, cujus setae neque prorsus albae sunt, neque nigrae omnino, sed cum sint diversorum colorum mistura distinctae et interpunctae, neque in nigris numerantur, neque in albis [1]). Hoc Spiritus S. innuit: *Custoditio legum consummatio incorruptionis est; incorruptio autem facit esse proximum Deo* [2]). Graece est *προσοχὴ νόμων*, id est, accurata et attenta diligentia et cura leges servandi; quae ubi viget, ibi summa est conscientiae puritas, et vacuitas vitiorum.

2°. Similem Deo facit patientia, qua toleramus aequo animo et sine perturbatione adversa, et erga eos qui nos affligunt, expandimus viscera charitatis, eis parcendo, eos amando, eis benefaciendo. *Nihil*, inquit S. Chrysostomus, *sic Deo similem efficit, ut malignis atque laedentibus esse placabilem* [3]). Et alio in loco, similitudinem ad quam homo a Deo factus est, ait in eo sitam esse, *ut pro viribus humanis, similes fiamus Deo, mansuetudine et lenitate* [4]). Hinc Ecclesia dicit: *Deus, cui proprium est, misereri semper et parcere.* Confirmavit hoc Dominus S. Gertrudi, quae cum eo col-

---

[1]) L. c. n. 2. [2]) Sap. VI, 19. 20. [3]) In Matth. hom. XIX. n. 7. [4]) In Genes. hom. IX. n. 3.

loquens dixit: »Revelasti mihi....quo universalior seu gravior est passio, eo puriorem clarificationem animae praestat; et specialius afflictio vel exercitatio cordis in humilitate, patientia, et similibus, tanto magis animae candorem colorant, quanto eam vicinius, efficacius, et propius tangunt« [1]). Ideo Spiritus sanctus in paucis vexatos et a Deo tentatos dicit inventos esse dignos se [2]). Merito, quia similes sunt Deo, tam multa pro nobis in Christi humanitate passo, et nunc tot blasphemias et peccata hominum patienter tolerante et parcente. Ideo bene Jacob appellavit vultum Esau sibi antea irati et se persequentis ob primogeniturae jus et ob praereptam patris benedictionem vultum Dei, cum eum vidit mansuetum et lenem. *Accipe,* inquit Jacob ad Esau, *munusculum de manibus meis; sic enim vidi faciem tuam quasi viderem vultum Dei* [3]). Sicut e contrario, qui immisericors et impatiens est in adversitatibus et implacabilis adversariis se Christi cruce onerantibus — quia similis non est Deo plura passo et plures offensas nostras tolerante — Deo dignus non est. Ideo Christus Dominus ait: *Qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus* [4]). Habuit hujus rei radium a luce aeterna demissum et Seneca, qui ait: »Ecce spectaculum dignum, ad quod respiciat intentus operi suo Deus: ecce par Deo dignum, vir fortis cum mala fortuna compositus« [5]). Ad

---

[1]) Insin. div. pietat. l. II. c. 14. [2]) Sap. III, 5. [3]) Genes. XXXIII, 10. [4]) Matth. X, 38. [5]) De provid. c. II.

hoc caput reducitur misericordia erga afflictos et variis miseriis pressos. Et ita S. Thomas ait, *per misericordiam nos assimiliari Deo, secundum similitudinem operationis* [1]: proprie enim dicta misericordia in Deo esse non potest, quia, ut articulo praecedenti dixerat S. Thomas, *misericordia importat dolorem de miseria aliena* [2]; dolor autem proprie dictus, nec in Deo, nec in ullo beato est: repugnat enim perfectioni divinae naturae et statui beatitudinis coelestis. Sed et Theodoretus idem sensit: *Qui observat praeceptum illud Salvatoris: »Estote misericordes, quemadmodum Pater vester misericors est«...fit imago Dei per omnia: Deus enim longanimis, miserator et misericors est* [3].

3°. Similem Deo facit paupertas, demonstrata ex affectu erga Deum in usu rerum vilium et paucarum. *Si quis Deum cognoscat, ei assimilabitur,* inquit Clemens Alexandrinus, *benefaciens, et quam paucissimis fieri poterit indigens; solus autem Deus nulla re omnino indiget.* [4]. Hoc sensu S. Ambrosius dixit: *Quicunque saecularia negligit, ad imaginem similitudinemque Dei propius accedit* [5]. *Pura et numeris omnibus absoluta libertas est,* inquit S. Isidorus Pelusiota, *nulla omnino re indigere: quod quidem ut humanae naturae conditione sublimius ac praestantius, divino Numini*

---

[1]) 2. 2. q. XXX. a. 4. ad 3. [2]) Quaest. cit. a. 3. [3]) Quaest. in Genes. XX. sub. fin. [4]) Paedag. l. III. c. 1. init. [5]) De Jacob et vita beata l. II. c. VIII. n. 30.

tribuatur. Secunda autem ab ea, paucis opus habere, quod quidem homines consequi, atque ad id pervenire possunt. Hanc igitur amplectamur: quoniam prima captum nostrum nunc excedit [1]). Quin et Socrates, licet ethnicus, ajebat, eum diis maxime propinquum esse, qui minimis egeat.

4°. Similem facit Deo mansuetudo. *Homo secundum Dei similitudinem factus dicitur,* inquit S. Chrysostomus, *ut pro viribus humanis similes fiamus Deo, mansuetudine, inquam, lenitate, et virtutis ratione Deo similes efficiamur* [2]).

5°. Passionum dominium nos facit quosdam Deos. Hinc S. Ambrosius ponderans illud epithetum Moysi a Deo datum Exod. VII, 1: Posui te in deum Pharaoni: *Etenim,* inquit, *victor passionum omnium, nec ullis captus saeculi illecebris, qui omnem istam secundum corpus habitationem coelestis puritate conversationis obduxerat, mentem regens, carnem subjiciens, et regia quadam auctoritate castigans, nomine Dei vocatus est, ad cujus similitudinem se perfectae virtutis ubertate formaverat* [3]). Sic S. Gregorius Papa: *Quoties,* inquit, *turbulentos motus animi sub mansuetudinis virtute restringimus, redire ad similitudinem conditoris conamur* [4]).

6°. Similem Deo facit constantia perseverans in bene coeptis exercitiis virtutum. *Est alia magis*

---

[1]) L. II. epist. 23. [2]) In Genes. hom. IX. n. 3. [3]) De Cain et Abel. l. I. c. II. n. 7. [4]) Moral. l. V. c. XLV. n. 78.

Deo propinqua similitudo, inquit S. Bernardus, *in quantum voluntaria, quae in virtutibus consistit: in qua animus virtutis magnitudine summi boni quasi imitari gestit magnitudinem; et perseverantiae in bono constantia, aeternitatis ejus incommutabilitatem* [1]). Sed maxime, quando quis ita est in virtute fundatus, ut quodammodo nequeat ab illa recedere, in quavis occasione et difficultate ac adversitate. Ideo statim addit: *Super hanc autem alia est adhuc similitudo Dei....in tantum proprie propria, ut non jam similitudo, sed unitas spiritus nominetur; cum fit homo unum cum Deo, unus spiritus, non tantum unitate volendi idem, sed expressiore quadam unitate virtutis...aliud velle non valendi.* Et hanc unitatem infra n. 23. S. Bernardus appellat: *clausulam omnis perfectionis,* pro qua Christus oravit dicens: *Pater, volo, ut sicut ego et tu unum sumus, ita et ipsi in nobis unum sint. (Joan. XVII, 11, 21.).*

7°. Similem Deo facit unio mentis cum Deo per pias cogitationes de eo et affectuosas. S. Basilius ait: *Quisquis.... Dei factus amator....procul ab omni terreno ac corporali affectu animum perturbante cogitationes suas abducit: imo etiam animi obtutu puro nullisque tenebris obvoluto contemplatur divina, et lumine hinc emanante insatiabiliter perfunditur.... Deo, quantum fas est, fit similis, efficiturque dilectissimus ei atque charissimus* [2]).

---

[1]) Epist. ad fratr. de monte Dei l. II. c. III. n. 16. [2]) Constit. monast. prooem. n. 2.

8°. Similes nos facit et Deo, ut Deus est, et Christo Deo, ut homo est, toleratio injuriarum omnis generis, conjuncta cum tranquillitate animi et laetitia ac desiderio earum, et amore beneficentiaque nostris adversariis exhibita in omni occasione. Nullus mortalium tot injurias passus est unquam, quot quotidie patitur Deus per peccata a peccantibus; si ergo tractaberis male et tolerabis pro Deo omnia, quae displicent amori proprio, — uti sunt irrisiones, convicia, contemptus, falsae accusationes, vituperationes tuorum dictorum, factorum, detractiones, aversiones aliorum a te, fuga aliorum a conversatione tecum, si non promoveberis ad speciosa, vel amoveberis a speciosis, et his similia — tolerando talia, et parcendo talibus, assimilaberis aliquatenus Deo. Nam recte ait Abbas Chaeremon apud Cassianum, *eum qui ad imaginem Dei similitudinemque pervenerit, similem quodammodo possidendo patientiae ac lenitatis affectum, nullis deinceps peccantium vitiis irasci, sed veniam potius, infirmitatibus eorum condolendo atque compatiendo, implorare....et posse ad illud praemium pervenire, per quod*, [diligendo inimicos et benefaciendo eis qui oderint nos] *non solum imaginem Dei et similitudinem praeferamus, verum etiam filii Dei nuncupemur: »Ut sitis, inquit, filii Patris vestri qui in coelis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos.« (Matth. V, 45.)* [1]). Et S. Gregorius Nyssenus ait,

[1]) Collat. XI. c. 10.

esse extremum punctum virtutis, si quis dimittat debitoribus suis, eumque propemodum non amplius intra terminos humanae naturae conspici, sed ipsi Deo per virtutem assimilari, ut alius ille ipse deus esse videatur, dum facit ea quae Dei solius est facere. Debitorum enim remissio proprium ac peculiare Dei munus et officium est.... Si quis igitur in sua vita divinae naturae insignia imitetur, illud ipsum quodammodo fit, cujus in se evidentia simulacra atque incitamenta ostenderit [1]).

Simili ratione etiam Christo incarnato similes erimus, imo quodammodo in eum spiritualiter transformabimur. Et hoc est, ut monet Apostolus, *induere novum hominem* [2]), imo, quod e mente S. Hieronymi idipsum est, quod in alio loco dicitur: *induere Christum Jesum* [3]). Unde S. Doctor: *Qui igitur,* inquit, *conversationem illius imitari potest, et universas in se exprimere virtutes, ut sit mansuetus, sicut ille fuit, et humilis corde....verberatus non respondeat: maledictus non remaledicat, sed vincat in humilitate superbiam, iste indutus est novum hominem, et dicere cum Apostolo potest: »Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus.« (Gal. II, 20.)* [4]). Praemiserat autem immediate haec verba Apostolus: *Christo confixus sum cruci;* quia nimirum similitudo in Christi cruce, ob Christum portata, facit ita similem Christo, ut quodammodo in eadem Christi cruce pendeat qui

---

[1]) De orat. domin. or. V. init. [2]) Eph. IV. 24. [3]) Rom. XIII, 14. [4]) Comment. in Eph. IV, 24.

talis est, vel in altera cruce prope illum crucifixus appareat tanquam bonus latro et melior illo, qui eodem cum Christo die et loco crucifixus fuit. Declaravit hanc veritatem Deus miraculose non semel.

1) Cum Stephanum presbyterum senem, coactum a medicis carnem manducantem frater ejus, saecularis quidem, sed valde religiose et secundum Deum vivens, vidisset, scandalizatusque fuisset et valde contristatus, quod ex tanta continentia atque abstinentia — erat enim monachus — in extremo vitae suae tempore ad comedendum carnes devolutus esset, mox in extasi factus, vidit quendam dicentem sibi: »Quare sic de presbytero scandalizatus es, quia illum vesci carnibus vidisti? Nescis, quia necessitate compulsus et propter obedientiam id fecit? Nempe propterea scandalizari non debuisti; nam si merita et gloriam fratris tui videre cupis, retro convertere et vide.« Conversusque vidit fratrem suum crucifixum cum Domino. Aitque ad eum is, qui illi apparuerat: »Ecce in qua gloria frater tuus est. Glorifica ergo eum qui glorificat eos qui se diligunt in veritate.« [1]) Vivebat autem adhuc tunc frater iste. Haec ad verbum scripta sunt in Prato spirituali magnae auctoritatis libro, quia in Concilio secundo generali Nicaeno hujus libri testimonio Iconoclastae refutati sunt.

2) Id ipsum Deus confirmavit alio exemplo, quod refert Caesarius narrans, in Lucka, domo Ordinis Cisterciensis, laicum quendam pium Ru-

---

[1]) Prat. spirit. c. LXV.

dolphum, post matutinas preces sub dio stantem et orationes aliquas dicentem, vidisse Christum in aëre cruci affixum pendentem, et circa eum quindecim homines, singulos in singulis crucibus, ex quibus decem erant monachi, — hoc est clerici — et quinque conversi, — laici fratres — omnes ei bene noti, utpote Congregationis suae professi; cumque stupefactus staret ob tam mirabilem visionem, Dominus de cruce clamavit: »Nosti, Rudolphe, qui sunt hi, quos circa me vides crucifixos«? Respondente converso: »Novi, Domine, qui sunt; sed quid sit quod video, prorsus non intelligo.« Subjunxit Dominus: »Hi soli ex omni Congregatione mecum crucifixi sunt, meae passioni vitam suam conformantes« [1]).

3) Hanc ipsam similitudinem cum Christo expressit Dominus in sancta Catharina Senensi; quae cum accersito ad se Raymundo Confessario suo — qui postea hoc scripsit in ejus vita — more suo de Deo sermocinaretur, et recitaret quae illa die fuerant sibi revelata, Raymundus autem audiens tam ingentia similiter et aliis insueta, intra se cogitaret: »Putasne sint omnia vera quae dicit«? simulque in faciem loquentis intendisset: subito facies ejus transformata est in faciem viri barbati, qui eum fixis oculis intuendo nimium terruit: eratque facies oblonga, aetatis mediae, non prolixam habens barbam coloris triticei, majestatemque praeferens in aspectu, ex qua se manifeste Dominum osten-

[1]) L. VIII. c. 16.

debat: nec aliam pro tunc ibi faciem discernere poterat, praeter illam. Cumque Raymundus pavefactus et territus, erectis circa humeros manibus, exclamaret: »O quis est, qui me respicit?« Respondit virgo: »Ille, qui est.« Quo dicto, mox facies illa disparuit, et faciem virginis, quam discernere prius non potuit, clare vidit. Quod ipse Raymundus cum scripsisset sibi contigisse, subdit: »Hic coram Deo loquor securus, quia ipse Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi scit, quia non mentior.« [1])

Tolera ergo judicia sinistra, tolera verborum aculeos, irrisiones, infamationes tui, accusationes falsas, et eris similis Christo pro te plura talia passo. Quam similitudinem cum Christo Domino tanti fecit S. P. N. Ignatius, ut in tertio modo seu gradu humilitatis nobis commendarit, ut etiam si nullo superaddito laus Dei par foret, ad majorem tamen imitationem Christi, eligam potius cum eo paupere, spreto, et illuso pauperiem, contemptum et insipientiae titulum amplecti, quam opes, honores, et sapientiae aestimationem.

9°. Similitudinem cum Deo sic describit S. Laurentius Justinianus: *Tunc anima conformatur Verbo, tunc specimen ejus sponsi assimilatur decori, tunc sapientiae grata sedes efficitur: cum veritas in mente fulget, et mens in veritate se videt, cum amoris desiderio habitat in summis, et contempla-*

---

[1]) Act. Sanct. Boll. t. XII. 30. April. Vit. p. I. c. V. n. 90.

tionis penna elevatur in coelestia: cum maturitatem animi custodiens secum commoratur, semper pudica, ubique circumspecta: nil utique agens, quod conscientiae evacuet gloriam, obliquet oculum, quo erubescat praesentiam veritatis, quo confundatur in se, et cogatur faciem cordis avertere, tanquam confusam et repercussam a splendore Verbi, a lumine sponsi [1]).

Haec similitudo cum Deo praecipue spectat ad viros in cursu perfectionis provectos, et valde appropinquantes ad destinatam metam virtutis. Quoniam vero ex similitudine nostrae animae cum Deo oritur ejus magna pulchritudo, *si amabiles fieri Domino volumus*, — uti monet S. Chrysostomus — *animae formositatem quotidie magna diligentia curemus* [2]). *Deus enim*, ut idem ait alio in loco, *artem nobis indidit, ita ut qui corpus ex deformi elegans reddere non potest, is possit animam, etiamsi in extremam deformitatem deciderit, in summam pulchritudinem reducere, adeoque amabilem jucundamque reddere, ut non probi tantum viri, sed etiam omnium Rex et Deus in ejus concupiscentiam veniat: quemadmodum et Psalmista de illa pulchritudine loquitur: »Et concupiscet rex decorem tuum.« (Psalm. XLIV, 12)* [3]).

10°. Similem nos facit humilitas cum paupertate conjuncta, seu paupertas spiritus

[1]) De casto connub. c. XII. post med. [2]) In Genes. hom. XXI. in fine. [3]) Ad Theodor. laps. I. n. 13.

et rerum materialium. Praeclare hac de re disserit S. Gregorius Nyssenus: *Finis vitae cum virtute degendae est, ut quis Numini divino assimiletur. Atque id quod passionis et affectus expers, incorruptum atque immortale est, undequaque hominum effugit imitationem. Neque enim fieri potest, ut vita affectibus, perturbationibus vitiisque et casibus obnoxia, assimiletur penitus et ex omnibus partibus ei naturae, quae neque perturbationes, neque casus, neque affectus ullos admittit.... Verum nonnulla Deitatis propria hominibus quoque proposita sunt, ut, si velint, illa assequi imitando possint. Quaenam igitur haec sunt? Videtur mihi Verbum paupertatem et inopiam spiritus nominare voluntariam animi humilitatem atque demissionem, atque hujus exemplum Apostolus nobis Dei paupertatem proponit, dum dicit: »Qui cum dives sit, propter nos pauper et egenus factus est, ut nos illius egestate ditesceremus.« (2. Cor. VIII, 9.) Quoniam igitur cetera omnia, quae circa naturam divinam conspiciuntur, superant modum humanae naturae: humilitas autem coalita atque consueta nobis humi repentibus, et ex terra conflatis et in terram defluentibus, est, si tu in eo, quod a natura non est alienum, et a te praestari potest, Deum imitatus fueris, beatam formam ipse induisti.... Imitemur ergo eum, qui sponte sua egenus fuit, qui vere beatus est, ut in quo possumus, pro virili nostra parte assimilati, ex eo, quod nostra voluntate egeni paupertatem secuti fuerimus, etiam*

beatitudinis communionem attrahamus et adsciscamus [1]).

11°. Castitas nos assimilat Deo. *Castitas,* inquit S. Climacus, *nos Deo familiares, et quantum humana natura patitur, similes efficit* [2]). Hinc castitatis virtutem divinam aliquo modo videri, ex ipso ejus nomine, tradit Methodius [3]), adductus a Photio [4]): ait enim graece dici florem ejus *παρθενίαν,* quasi *παρὰ θείαν,* quod ea virtute homo similis Deo fiat. Huc spectat egregie dictum a Photio, virginitatem augmentum esse sufficientiae, et accessus ad Deum sibi sufficientissimum se solo. Quin etiam ipsas virtutes — quae ut supra [5]) ostensum est ex SS. Patribus, faciunt hominem similem Deo — virgines nominarunt veteres philosophi, ut observat Gregorius Neocaesariensis [6]).

12°. Similes Deo nos facit rerum mundanarum contemptus. Qua de re sic S. Ambrosius: *Non aequalitatis homini ad Deum, sed similitudinis aemulatio est; solus enim Christus est plena imago Dei, propter expressam in se paternae claritudinis unitatem: justus autem homo ad imaginem Dei est, si propter imitandam divinae conversationis similitudinem mundum hunc Dei cognitione contemnat, voluptatesque terrenas verbi Dei perceptione despiciat, quo alimur in vitam; unde*

---

[1]) De beatitud. or. I. med. [2]) Scala parad. gr. XV. col. 223. [3]) L. de castit. [4]) Biblioth. cod. CCXXXVII. [5]) Pag. 8. [6]) Hom. II. in Annunt. Virg.

et corpus Christi edimus, ut vitae aeternae possimus esse participes [1]).

13°. Beneficentia erga alios Deo nos similes reddit. Beneficentiam vero voco omne genus officii, auxilii, obsequii, quod homo possit praestare alteri id petenti, vel, etsi non petat, illo indigenti. In quovis enim statu, etiam in religioso paupere, potest exhiberi talis beneficentia, proportione quadam cum beneficentia divitum. Qua de re sic S. Gregorius Nazianzenus e suggestu nimis severum Praefectum allocutus est: *Cum Christo imperium geris, cum Christo munus hoc administras. Ab illo gladium accepisti, non tam ut eo utaris, quam ut mineris ac terreas..... Dei humanitatem et misericordiam aemulare. Nihil tam divinum homo habet, quam benignitatem ac beneficentiam. Licet tibi nullo labore Deum fieri: noli divinitatis consequendae occasionem abjicere.... Hac una re pulchre vincaris; benignitate nos supera* [2]).

His ergo modis renovanda est tuae animae imago et assimilanda Deo, declinando a malo et faciendo bonum, juxta finem communem omnibus et proprium cujusvis Congregationis, quod non assequeris, nisi te viceris, et vitae tuae rationem — determinatione a noxiis affectibus libera — institueris. Hic enim scopus est piarum meditationum.

---

[1]) Expos. in Lucam. l. X. n. 49. [2]) Or. XVII. ad cives Nazianz. n. 9, 13.

CAPUT X.

Octiduana recollectio ordinanda est etiam ad poenas purgatorii evadendas; pro qua re traduntur motiva eas evadendi.

Cum duplex sit malum: culpae et poenae, et plus habeat de ratione mali culpa, quam poena, ut ait S. Thomas [1]), imo proprie loquendo, sola culpa et peccatum sit malum, ut ait S. Dionysius Areopagita [2]), et Abbas Theodorus apud Cassianum [3]), et Cicero [4]) id lumine naturali agnoverit: tamen cum judicio hominum pro malo habeatur quaevis poena, et saepe magis haec timeatur quam culpa et offensa Dei, ad perfectam renovationem nostrae animae, suadeo, ita haec exercitia octiduana peragere, ut in iis — modis paulo post indicandis — libereris ab omni obligatione luendae in hac vita et in purgatorio poenae, ita, ut si te contingeret mori statim post datum exercitiis finem recta possis ire ad coelum, sine ullis poenis purgatorii. Deinde ut vivendo diutius, ita deinceps vitam tuam instituas, ne moriaris poenas in purgatorio luiturus. Hoc ut assequaris, duo tibi ponderanda proponam:

I°. Causas ob quas optare debes, ut sis liber a purgatorii poenis.

II°. Modos eas evadendi.

[1]) 1. q. XLVIII. a. 6. [2]) De divin. nom. c. IV. §. 22. [3]) Collat. VI. c. 3. [4]) Quaest. tuscul. l. II. c. 5.

Causae moventes ad evadendas purgatorii poenas sunt hae:

I-ma. Gloria Dei et gustus major: qui enim sine purgatorio it recta ad coelum, citius Deum glorificat, facie ad faciem eum aspiciens, et sua pulchra praesentia oblectans, qualem non habet is, qui est obnoxius poenis purgatorii; ideo Deus etiam sanctissimos homines non admittit ad suum in coelis conspectum, quamdiu residet in anima obligatio poenae alicujus luendae. Illi enim, qui in coelo sunt, *sine ulla macula sunt* [1]); et sicut pater ac mater valde oblectatur videns filii sui pulchram faciem, nulla macula sordidatam, ita simili modo talium aspectu et in hac vita et in altera oblectatur Deus.

II-da. Gloria Christi inde major exurgit: quia magis dilatatur et apparet fructus redemptionis nostri per Christi mortem et vitam et merita peractae, ei applicatus, qui recta ad coelum it, et vivit dispositus ad eundum recta sine purgatorio.

III-tia. Majus ornamentum Ecclesiae, sponsae Christi, est, si tu, qui es membrum ejus, non tantum vixeris sine peccato, quantum fieri potest, sed etiam sine obligatione poenae, beneficio Sacramentorum, sanctae Ecclesiae ad id relictorum, et beneficio auxiliorum gratiae id praestantium, et beneficio operum supernaturalium ac satisfactionum, ad hoc ipsum ob Christi sponsi tui merita condu-

---

[1]) Apoc. XIV, 5. coll. XXI, 27.

centium, qui, ut ait Apostolus, *dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret... ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam* [peccati] *aut rugam* [poenae] *aut aliquid hujusmodi* [scilicet imperfectiones et defectus, etiam inculpabiles]; *sed ut sit sancta et immaculata* [1]).

IV-ta. Majus ornamentum est Curiae coelestis et gaudium, dum eo intrat anima, nullis in purgatorio poenis detenta et castigata, sicut majus ornamentum et gloria regum curiae est, si eam intrent homines, qui nullis antea debitis et carcerum ignominiis fuerunt infames.

V-ta. Major hinc oritur daemonis, inimici Dei, confusio, dum ejus manus quis evadit. Certum est enim ex revelationibus S. Brigittae et Christinae mirabilis et aliis authenticis historiis, in purgatorio multas animas — non omnes — torqueri Dei jussu opera daemonum; qui cum id ex Dei odio etiam faciant: qui Deum vere amat, conatur non dare daemoni occasionem et materiam odii contra Deum et contra animas Christi sanguine redemptas exercendi.

VI-ta. Incredibilis gravitas poenarum purgatorii id exigit: sunt enim majores omnibus Martyrum martyriis, et omnibus suppliciis latronum simul sumptis: uti docent S. Augustinus [2]), S. Cae-

---

[1]) Ephes. V, 25. sq. [2]) Enarr. in Ps. XXXVII. n. 3.

sarius, S. Anselmus [1]), S. Gregorius Papa [2]), Beda [3]), Magister sententiarum [4]), et ejus commentatores [5]), Ricardus [6]), S. Thomas [7]), Bellarminus [8]); cui falso adscribitur, quasi optasset esse in purgatorio usque ad diem judicii, dummodo posset esse in coelo et de hac re certus. Nam cum meo tempore id de eo in Collegio Romano sparsum fuisset, circa annum Domini 1596 in publica exhortatione, me id audiente refutavit, tanquam immerito sibi adscriptum, et se contrarium optare et sentire.

Immo, ut ait S. Caesarius: *Purgatorius ignis durior erit, quam quidquid potest in hoc saeculo poenarum aut cogitari, aut videri, aut sentiri* [9]). Et S. Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus *post mortem*, ait, *in purgatorio minimum poenarum genus, majus esse quam maximum quod in hac vita excogitari possit* [10]). Et S. Thomas [11]), et Scotus [12]), minimam poenam purgatorii dicit esse majorem maxima poena hujus vitae; ad quod inclinat

---

[1]) Commentar. in I. Cor. III, 15. *Hervei Burgidol.* olim *Anselmo* adscript. [2]) Expos. in Ps. poenit. III. n. 1. [3]) In Ps. XXXVII. init. [4]) Sent. l. 4. dist. XX. n. 1. [5]) *Palud.* in 4. dist. XX. q. I. a. 1. concl. 4; *Sot.* dist. XIII. a. 3. concl. 2. [6]) Dist. XX. a. 2. q. I. [7]) Opusc. LXIII. c. 2. §. tertium principale sub fin.; 3. q. XLVI. a. 6. ad 1. et 3. [8]) L. II. de purgat. c. 14; l. I. de amiss. grat. c. 13. fin. [9]) Serm. CIV. n. 5. inter serm. suppos. S. Aug. op. t. V. 2. [10]) *Honorii Augustod.* in Elucidario olim *Anselmo* adscript. l. III. §. 3. [11]) In l. 4. dist. XXI. q. I. a. 1. quaestiunc. 3. [12]) Dist. XXI. q. I.

Suarez [1]). Quis posset enumerare, quam dira tormenta et acerba passi sint quam plurimi Martyres? Notum est S. Laurentii martyrium in craticula lento igne dire assati; S. Erasmus plumbatis fustibusque dedolatus, resina perfusus, sulphure, plumbo liquefacto, ferventi pice, ceraque ac oleo bulliente, implicatus catenis ferreis gravisimisque innexus, tunica candente indutus, ignita in sede diu positus, tandem gladio feritur; S. Clemens Ancyranus per viginti et octo annorum spatium a variis tyrannis crudelissime excruciatus; S. Theodorus adeo ungulis excarnificatus, ut ejus costae nudarentur; S. Bonifacius praeter ungularum excarnificationem, sibi inter manuum ungues et carnem acutos calamos infigi sentiebat, ac liquefactum plumbum ori suo infundi. SS. Vitus, Modestus et Crescentia in vas liquato plumbo, ferventi resina, ac pice bulliente repletum immersi; SS. Processus et Martinianus equuleo torti, fustibus caesi, candentibusque laminis adusti; S. Justus galea candenti indutus; S. Priscus pugionum ictibus per singula corporis membra punctim perforatus; SS. Eustachius et Theopista ejus uxor, Agapitus Theopistusque eorum filii, in taurum aeneum flammis suppositis candentem immissi; S. Vincentius verberibus punctus, equuleo tortus, in craticula assatus, ferreis ungulis excarnificatus, laminis candentibus perustus, et in testaceis fragmentis, ne somno forte frueretur, volutatus fuit. S. Hippolytus equis indomitis, quibus alligatus erat,

[1]) De poenit. disp. XLVI. sect. 3. n. 7.

per tribulos et sentes raptatus; S. Victor in mola pistoria contritus; S. Gorgonius flagellorum ictibus toto corpore perforatus, acetum sale perfusum in vulnere diffundi pertulit, postea in craticula assatus, tandem laqueo suffocatus est. S. Agapitus, octodecim annos natus, diutissime primo flagellatus, deinde in caput ejus ardentes carbones impositi, mox dirissimis iterum affectus verberibus, pedibus ab alto suspensus, subjecti ignis fumo cruciatus, postea fervens aqua in ejus ventrem infusa, maxillae fractae, feris tandem objectus est. Wandali jussu regis in ecclesiae portis videntes feminam vel virum in specie suae gentis incedentem, palis minoribus dentatis jactis in capite, crinibusque in eisdem collocatis vehementius stringentes, simul cum capillis omnem pelliculam capitis auferebant. His omnibus minima purgatorii poena est longe major. Et ut author antiquus (sed non Cyrillus) apud S. Augustinum scribit, audivisse se a quodam resuscitato per saccum S. Hieronymi: *Si omnes quae in mundo cogitari possent poenae, tormenta, afflictiones, minori, quae illic habetur, poenae et tormento comparentur, solatia erunt. Mallet enim quilibet viventium omnes quae hic videntur poenae et tormenta, si illas experientia nosceret poenas, usque ad finem mundi omnibus his simul sine remedio cruciari, quas omnes homines ab Adam hucusque sigillatim pertulerunt, quam uno die in inferno, sive in purgatorio, minori, quae illic habetur, poena torqueri*[1]).

[1]) Tom. II. oper. S. Aug. App. spur. epist. XIX. c. 3.

Et Christus S. Brigittae dixit de quodam ad purgatorium ituro: »Sic in purgatorio amarum habebit anima ejus supplicium, quod nullus mortalis est, qui possit illud cogitare.« Et tandem sic concludit Christus Dominus: »Quid ergo patientur illi, qui omnem voluntatem suam in mundo habent, et nullis tribulationibus fatigantur?« [1]). B. Joanna de Cruce dicebat suis monialibus, post multas visiones et revelationes de poenis purgatorii habitas, eas esse acerbiores omnibus tormentis hujus vitae [2]).

S. M. Magdalena de Pazzis in extasi existens dixit: »Tormenta omnia a sanctis Martyribus tolerata, horum [— quae scilicet in purgatorio infliguntur —] respectu, sunt instar horti amoenissimi« [3]).

Quae poenarum purgatorii gravissima acerbitas confirmatur aliquot miris exemplis, quae Zacharias Boverius refert in annalibus PP. Capucinorum. Nam tomo II. scribit: Fratrem Constantinum a Salvatore, virum alioqui valde sanctum, et gratiis gratis datis in vita et post mortem ornatum, nonnullis post obitum diebus apparuisse patri cuidam, a quo cum de suo in altera vita statu interrogatus fuisset, respondit: »Heu! heu, frater, quam districta Domini judicia sunt, atque ab hominum sensu ac sententia longe remota: quae enim viventibus virtutes videntur, a Deo plerumque, qui recte omnia metiri novit, vitia judicantur. Ego quidem ex Dei miseratione salutem consecutus coelesti gloria fruor, verumta-

---

[1]) Revel. l. VI. c. 2. [2]) Vit. c. 17. [3]) Vit. p. II. c. VII. n. 227.

men in purgatorio igne triduano poenas exsolvi, quae trium millium annorum — haud mentior — mihi diuturna supplicia visa sunt. Quod si horum causam quaeras, ea gemina fuit: Prima, quod ex diuturna mea inter fratres praelatione plerasque maculas, quas nec maculas existimabam, imprudenter contraxerim, ac plurima praetermiserim, quae et Superioris munus, et commissi mei gregis officium postulabant, quae summo rigore in Dei judicio examinata fuere. Altera, quod in animi remissionibus, quas intra solius virtutis terminos contrahere debueram, erga subditos indulgentior quam par est extiterim; ex quo plerumque dissolutiones erumperent.« His ad posterorum quoque disciplinam dictis, protinus ad coelestia remeavit [1]).

Aliud exemplum habet tom. I. annal. de quodam fratre in Provincia Romana aegrotante, qui ad vitae exitum properabat, et ab alio suppliciter petiit, ut circa horam nonam, quo tempore sibi ex hac luce emigrandum esse divina revelatione acceperat, Deo sacrum Missae sacrificium pro eo offerret: id enim sibi a Deo revelatum esse significaverat, se purgatorii poenis tam diu detinendum esse, quoad unicum Missae sacrificium absolveretur. Cui cum Franciscus prompte annuisset, ipsa nona hora, qua aegrotus ex hac vita decedit, Missae sacrificium inchoat et ad finem usque perducit. Vix is sacerdotales vestes exuerat, et de more Deo gratias agens pro defuncti anima preces et lacrymas offerebat, cum defuncti

[1]) Pag. 204. n. 60. an. 1586.

vocem se vocantem audit: »Francisce, Francisce.« Cui Franciscus: »Quis es tu, quem me vocantem audio?« »Sum, inquit ille, defuncti fratris anima, pro qua sacrum Missae sacrificium obtulisti: heu, heu, Pater mi, quam longe hanc Missam produxisti?« Cui Franciscus: »Quid ais? inquit, vix media post obitum tuum hora elapsa fuit.« At ille: »Tam longa ait, haec mora mihi visa fuit, ut annum mihi in poenis praeteriisse viderer, jamque inde nisi post diuturnum tempus emergere plane desperaveram. Jam Deo et tibi gratias ago, nunc enim a poenis solutus in coelum conscendo: Pax tibi!« His dictis evanuit [1]).

Antiquius exemplum refert Thomas Cantipratanus, S. Thomae Aquinatis condiscipulus, et discipulus B. Alberti magni: Quantae, inquit, est prudentiae in hac vita poenitentiam agere, exemplum subsequens demonstrabit. Erat vir fidelis et bonus — sicut praedictus Magister Albertus, Frater Ordinis Praedicatorum, et postea Ratisbonensis Episcopus sibi ab his, qui rem familiariter noverant, traditum referebat — qui post diuturnam poenitentiam, quam sanus fecerat, in languorem gravissimum incidit; quo per annum non modice tribulatus cum lacrymis rogavit Dominum, ut toti languori, concessa morte, finem imponeret. Nec mora; missus ad eum Angelus Domini dixit ei: »Exaudivit Dominus precem tuam; sed eligas quod vis: aut tribus diebus poena purgatorii torqueberis, si nunc decedas, aut si adhuc per annum in languore manere volueris,

[1]) Pag. 661. n. 27. an. 1567.

sine ullo purgatorio ad superos evolabis.« Tunc ille praesentem poenam recolens, nec futuram advertens, respondit: »Mori potius eligo, et non tantum tribus diebus, sed quantum Domino placuerit in purgatorio tribulari.« »Fiat, inquit Angelus, secundum verbum tuum.« Nec mora; languens morte solutus est, et ejus anima in purgatorium deportata. Uno ergo die exacto, venit Angelus ad locum purgatorii, ubi anima torquebatur, et dixit ei: »Quid nunc agis, o anima, quae pro languore unius anni tribus diebus elegisti in purgatorio detineri?« Cui anima: »O seductor, inquit, non Angele, qui me in poenis multis annorum curriculis pro trium dierum spatio fefellisti.« Et Angelus: »Non mora, inquit, sed inaestimabili tortura decepta es, quia nonnisi unum diem de tribus in purgatorio peregisti. Tui tamen adhuc, si retractare volueris quod elegisti, Dominus miseretur, ut ad corpus tuum, quod nondum sepultum est, reporteris, et per unum annum languorem, quem expertus es, patiaris.« Cui anima: »Annuo, inquit, ut non per unum annum tantum, sed usque in finem mundi languore etiam detinear acriore.« Hoc dicto, anima reportatur ad corpus, et per annum in languore detenta multos, quibus hoc retulit, ad poenitentiam animavit, et post annum unum iterato defuncta transiit ad superna [1]).

Quis ergo erit tam inconsideratus, qui id credens non curet, detrudi ad poenas illas post mortem, si eas hic vivens posset evadere? Quis audebit de-

[1]) Apum. l. II. c. 54.

liberate peccare, et se poenis illis sic peccando reddere obnoxium? Siquidem nullus auderet deliberate peccare, si certo sciret se post centum talia peccata, imo post unum solum, combustum iri in foro vivum, vel in rotam vivum actum iri. Pondera hoc, et consule rebus tuis, et tanquam *a facie colubri* [1]) deinceps fuge quodvis peccatum veniale deliberatum, et poenas peccatis indeliberatis aliisque debitas hic, dum vivis, quamprimum abolere stude. Nam si S. Christina Virgo, teste Thoma Cantipratano et Jacobo de Vitriaco Cardinale, ejus coaevo eique noto, in vita B. Mariae Oigniacensis, et teste Dionysio Carthusiano [2]), — quem Bellarminus [3]) appellat: »virum sanctissimum et doctissimum«, Molanus [4]): »eruditione, sanctitate et revelationibus clarum«, Sixtus Senensis [5]): »virum eruditionis et sanctitatis summae«, Serrarius: [6]) »virum doctrina et sanctitate praestantem« — si Christina, inquam, per quadraginta duos annos incredibilibus modis se excruciavit, — postquam poenas purgatorii divinitus sibi ostensas post mortem vidit, et divinitus resuscitata ad corpus suum rediit — ut aliorum animas ab iis liberaret: quanto magis se tam diris, uti paulo post patebit, poenarum generibus confecisset, si poenas illas experta fuisset, aut pro se praeparatas agnovisset, uti tu potes agnoscere tibi praeparatas, ni te hic purgaveris.

---

[1]) Eccli. XXI, 2. [2]) L. de Quatuor noviss. art. 50. [3]) De Script. eccl. [4]) In Natal. Sanctor. Belgii. [5]) Bibl. l. IV. [6]) In c. VIII. Tob. q. 15.

Ingrediebatur Christina clibanos ignivomos ad coquendum panes paratos, cruciabaturque incendiis velut aliquis nostrum, ita ut horrifice clamaret prae angustia: nec tamen in egredientis corpore laesura forinsecus apparebat. Clibanos non habens, in ignem copiosum in domibus hominum se projiciebat; vel pedes tantum vel manus mittebat, tenebatque tam diu, quousque, nisi divinum esset miraculum, redigi in cinerem potuissent. Intrabat etiam aliquando cacabos plenos bullientis aquae usque ad ubera, vel usque ad renes secundum altitudinem cacaborum et membris, quae foris immunes a supplicio remanebant, aquam fervidam superfundebat..... Sub aquis Mosae fluminis glaciali tempore frequenter et diutius morabatur, adeo ut in iis sex diebus et amplius permaneret.... In hieme etiam sub rota molendini ibat erecta stare, ita quod aqua dilaberetur per medium caput et membra ejus. Veniebat etiam cum aqua natans aliquando, cadebatque cum aqua super rotae circuitum.... In rotis etiam, in quibus piratae aliquando cruciari solebant, more tortorum flectebat crura et brachia sua.... Ibat etiam ad patibulum, et se inter latrones suspensos laqueo suspendebat, ibique uno die vel duobus suspensa pendebat. Saepius quoque sepulchra mortuorum intrabat, plangebatque ibi peccata hominum. Media etiam nocte quandoque surgebat, et canes totius civitatis S. Trudonis (— in Hasbania, Leodiensis dioecesis —) provocans ad latratus, quasi bestia fugiens praecurrebat, insequebanturque eam canes, et per silvas atque condensa spinarum agitabant eam ita

ut nulla pars corporis ejus a plaga remaneret immunis.... Hoc idem per se cum spinis et vepribus faciebat, ita ut sanguine per totum corpus perfusa undique videretur.... Exceptis istis effusionibus sanguinis, ex vena saepissime multum valde sanguinem minuebat« [1]). Et multis aliis modis, lacrymis perpetuo moerens, jejuniisque se conficiebat. Mortua anno 1224, quo die, incertum. Sed, ut rem hanc magis apprehendamus, praestat intelligere, quid dixerit prima vice resuscitata.

»Statim, inquit, ut defuncta sum, susceperunt meam animam ministri lucis, angeli Dei, et deduxerunt me in locum quemdam tenebrosum et horridum, animabus hominum plenum. Tormenta, quae in ipso loco videbam, tanta et tam crudelia erant, ut nulla lingua haec loqui sufficeret. Et vidi inibi multos defunctos, quos dudum, in carne cognoveram. Ego autem illas miseras animas non modice miserata requirebam, cujusmodi esset hic locus. Cogitabam autem hunc esse infernum. Et responderunt mihi ductores mei: Quia hic locus purgatorius est, in quo poenitentes peccatores in vita poenas luunt. Inde deduxerunt me ad tormenta inferni, et agnovi etiam ibi quosdam, quos viventes agnoveram. Post haec delata sum in paradisum ad thronum divinae majestatis (— non re ipsa, ut opinor, sed in visione, quomodo etiam multi vivi servi Dei vident thronum coelestem et choros Beatorum, anima existente

---

[1]) Act. Sanct. Boll. t. XXXII. 24 Jul. Vit. c. I n. 11. sq. et c. II. n. 1.

in corpore vivo —). Cumque congaudentem et congratulantem mihi Dominum viderem, super omnem modum gavisa sum, cogitans me perpetuo ex tunc cum Domino permansuram. Et Dominus statim respondit desiderio meo: Revera, inquit, dulcissima mea, hic mecum eris; sed nunc tibi duorum optionem propono: aut nunc scilicet permanere mecum; aut ad corpus reverti, ibique [agere poenas] immortalis animae per mortale corpus sine detrimento sui, omnesque illas animas, quas in illo purgatorii loco miserata es, ipsis tuis poenis eripere; homines vero viventes exemplo poenae et vitae tuae converti ad me, et a sceleribus resilire; peractisque omnibus, ad me tandem multorum praemiorum mercede te cumulatam reverti. Respondi sine aliqua haesitatione, sub conditione mihi proposita velle reverti. Nec mora, mihi Dominus in responsione congratulans, jubet animam meam reduci ad corpus. Et videte quam veloces angeli ad praeceptum Domini! Ea etenim hora, qua dicebatur in Missa pro me celebrata primo Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, anima mea throno divinae majestatis astabat. Ubi vero Agnus Dei tertio dicebatur, ab angelis velocibus restituta sum corpori. Sic modus regressionis meae et egressionis fuit, et ad correctionem hominum redonata sum vitae. Nunc ergo non conturbent vos illa, quae visuri estis in me, quia super intellectum sunt illa, quae Deus ordinabit mecum. Nec enim talia visa sunt inter mortales [1]).

[1]) Ibid. c. I. n. 6. 7. 8.

Quando B. Veronicae Virgini Augustinianae fuerunt ab Angelo monstrata tormenta in purgatorio, praesertim quae patiebantur personae religiosae utriusque sexus, pro quavis levi inobedientia in Superiores, ac segnitie in exequendis divinis, et ob inane murmur quarundam sanctimonialium in Confessorem, postquam ab illa visione ad corporea officia rediit et sensus, vehementis tristitiae, timidi doloris, ingentisque horroris signa dedit, manuum percussionibus, motu capitis voceque flebili et dixit: »Heu! Heu! quas hodie, poenas, quaeve tormentorum genera vidi! (— ab iisdem tortoribus, qui sunt in inferno, inflicta eodemque igne inferni —) Sit mihi fas dignota loqui, resque pandere alta purgatorii caligine mersas.« Inter verba solo dilabitur Veronica, febris vehemens virginem arripuit, signaque toto corpore virgineo, igne veluti micantia, magnitudinisque instar palmae manus apparuerunt... Ita sunt magna et inexcogitabilia tormentorum genera in purgatoriis ignibus [1]).

Non est mirum tam valde Christinam se pro animabus enecasse purgatorii, et Veronicam illud expavisse: quia facile homo contrahit debitum illas subeundi poenas, et difficile ab iis liberatur et gravissime in iis torquetur. Scribit P. Julius Mancinellus in suorum luminum libello, apparuisse sibi sacrificanti quendam Patrem nostrum, importunantem illum, ut pro se oraret. Obierat autem Pater ille ante quinque, vel sex annos. Ex quo intellexit, non

[1]) Act. Sanct. Boll. t. II. 13. Jan. Vit. l. III. c. 10.

ita facile animas nostras transferri in coelum, sed exacta purgatione indigere: praesertim cum fere certo crederet, Patrem illum nunquam incidisse in peccatum mortale post ingressum in religionem, et antea rarissime et casualiter, quoniam sibi fere semper erat confessus; sed in religione habuit aliquos defectus, puta turbationis, severitatis, et tenacitatis proprii judicii, et inanis gloriae in hoc, ut haberetur operarius alicujus existimationis et pretii, cum tristitia et pusillanimitate sustinens hujus rei contrariam opinionem [1]).

Scribit Vincentius Belluacensis: Monachum quendam in extremis agentem, antequam decederet raptum in spiritu ductumque ad loca poenarum infernalia, vidisse animas multas verubus et contis acuminatis infixas ad rogum maximum in modum anserum torreri et assari, ipsosque crudelissimos tortores sufflatoriis aliisque igneis instrumentis miserorum tormenta totis nisibus aggregantes. Alii vero patellas et sartagines ignitas de subtus jacentes ponebant, adipemque qui de ardentibus jacentium membris fluebat, diligentissime colligentes, eundem rursus bullientem et ferventem super eos, a quibus fluebat, refundebant; quam poenam ceteris cruciatibus intolerabiliorem eis esse, considerabat. Post haec ductus est ad quendam refrigerii locum, ubi multitudinem animarum quasi post gravem aliquem laborem quiescentium invenit. Interrogatusque ab Angelo ductore suo: si sciret quae haec essent, se nescire respon-

[1]) Libello I. pag. 216.

dit. Sanctus vero Angelus dixit ei: »Hi, quos vidisti ad ignem illum permaximum assari, homines sunt Ordinis tui, qui licet criminalibus peccatis se nequaquam foedaverint, non tamen, sicut monet Scriptura, servire Domino in timore et tremore curaverunt; non disciplinae censuram tenere, non quietis et silentii patientes esse, non denique vigiliarum et orationum solemnem devotionem, neque laboris sanctae psalmodiae executionem strenue, sicut oportet, aemulari studuerunt, sed magis curiosi, faceti, (— notet Lector, quomodo hi defectus multis communes, a multis pro levissimis habiti, puniantur in purgatorio —) vagi, superflui, desidiosi, pigri, somnolenti, signis, jocis et levitatibus indulgentes, monasticae professionis puritatem violare non timuerunt; qui postquam secundum aequissimam Dei sententiam in supra visis poenis, alii brevius, alii prolixius, pro quantitate et qualitate excessuum suorum, purgati fuerint, mediante gratia Dei, in hunc refrigerii locum introducuntur, atque hic post horrenda illa supplicia pausantes, perfectionem beatitudinis suae cum patientia praestolantur« [1]). Sic Vincentius. Quocirca ob res etiam judicio imperfectorum levissimas multi detruduntur ad purgatorium etiam bene, sed non perfecte viventes.

Anno 1597 mortui sunt me praesente in Collegio Romano duo Fratres scholastici, mei condiscipuli, M. Antonius Ridolphinus, et Celsus Finettus Senensis, ambo valde exemplares, modesti, devoti,

[1]) Hist. l. VII. c. 109.

obedientes, uno verbo, nullum unquam in ullo eorum peccatum, nullam imperfectionem notavi, vivendo cum illis aliquot annis; tamen, ut scriptum est in annuis litteris Societatis impressis, — et ante mortem eorum res erat inter nos vulgata — beatissima Virgo Maria apparens Celso Finetto dixit eum salvum fore, sed quatuor annis in purgatorio futurum, Ridolphinum vero tantum duobus, et post mortem ejus hunc quoque — uti contigit post quindecim circiter dies — moriturum.

Sed praestat hanc historiam referre ipsis verbis, quibus ea descripta est a Sebastiano Beretario ad XI. Kalend. Octobris. »Celsus Finettus magnae pietatis, purique candoris, et egregiae exspectationis adolescens, cursum et ipse suum consummavit. Sex hic fuit annos in Societate, cum vicesimum tertium aetatis ageret. Patria fuit Senensis, cultui Matris Virginis praecipue addictus, quam etiam in morte visam, mortem sibi et salutem certo praedixisse narravit; diem quoque purgantium poenarum in quadriennium finiendam nuntiasse; adjecisse insuper beatissimam Matrem, M. Antonium Ridolphinum, adolescentem vigenti duorum annorum, quatuor tantum in Societate, quem ipse in logicae studiis habuisset condiscipulum, et forte per id tempus aegrotabat, non longo intervallo sequuturum: non tamen illi ultra biennium purgatorii carceris finitam diem. Quod cuicuimodi accipiendum sit, ad excutiendam tamen e nostro pectore socordiam scribendum visum est, ne quis inani fiducia expeditum sibi fore transitum ex his aerumnis blandiatur: cum duas tanto

candore animas, quae tanta sinceritate suae primitias aetatis Deo dedicassent, iter ad coeleste gaudium tanto poenarum vallo obseptum habuisse audiamus. Non inane autem aut umbratile fuisse visum, multi judicarunt: cum insolita ex eo tempore laetitia ipsius animus perfrueretur, nec nisi de futura vita libenter jucundeque sermones vel haberet vel admitteret. Sed multo magis ejus rei fidem confirmavit alterius pari probitate pietateque condiscipuli IV. Idib. Octobris consequuta mors.« Hucusque annuae litterae Collegii Romani, anni 1597.

Si ergo isti duo, quos vidi religiosissime viventes et plane irreprehensibiles, tam diu in purgatorio fuerunt, quid timendum est non tam perfecte viventibus? *Vae etiam laudabili vitae hominum* inquit S. Augustinus, *si remota misericordia discutias eum* [1]). Quocirca, cum *praeter cetera a Deo collata munera, hoc etiam bonum naturaliter sit insitum homini,* ut ait S. Laurentius Justinianus, *universa videlicet abhorrere poenalia, utilia vero semper desiderare et lacta, potissimum si qualitatem eorum gustu didicerit: sunt tamen innumeri, qui naturalis rationis parvi pendentes donum, ac pecudum more degentes sectantur noxia, et a lege Dei prohibita, quae aeterno sunt plectenda incendio; proficua vero et sancta despiciunt, quae pacem praestant et vitam.... Ignorant prorsus, qui tales sunt, quanti sit ponderis peccare in Deum, ipsiusque praecepta negligere.... necnon quanta, exigente*

[1]) Confess. l. IX. c. 13. n. 34.

justitia, ex suo reatu delinquens plectendus sit poena. Utinam, inquit sanctus Propheta (Deuter. XXXII, 26) de talibus, saperent et intelligerent ac novissima providerent! [1]). Proinde magna est adhibenda cura, ne ob peccata commissa, et hic plene non expiata, poenas luamus in purgatorio.

Thomas a Kempis in vita Gerardi Magni scribit: »Quamvis perexiguo tempore, debuit purgatorii ignibus expurgari Joannes Rusbrochius, quamvis ipsius fuerit sanctitas, etiam signis et prodigiis apostolica authoritate pridem inquisitis, et libris ejus plane coelestibus commendata.«

Hinc etiam sancti viri timebant purgatorium, et preces pro se fundi petierunt: ut Monica, teste S. Augustino [2]).

S. Carolus Boromaeus tale sibi vivens epitaphium posuit: »Carolus Cardinalis tit. S. Praxedis, Archiepiscopus Mediolanensis, frequentibus Cleri populique ac devoti feminei sexus precibus commendatum se cupiens, hoc loco monumentum sibi elegit.«

S. Teresia in fine prologi fundationum: »Ab eo, inquit, quicunque haec legerit, salutationem angelicam peto, ut per eam juver ad e purgatorio exeundum.« Et in fine mansionis 7: »Vos obsecro, ut quotiescunque haec legetis, meo nomine majestatem ejus maximopere dilaudetis, ab eoque Ecclesiae ipsius incrementum, haereticorum illuminationem, mihi vero peccatorum meorum remissionem, et a purgatorio ereptionem liberationemque postuletis.«

[1]) L. de obed. c. XXV. init. [2]) Loc. cit. n. 36. sq.

S. Ludovicus Galliarum rex, inter alia, quae Philippo suo filio in mandatis dedit, id in testamento suo posuit: »Sub finem hortor et adjuro te, fili mi, ut si mihi contigerit ante te migrare ex hac vita, ut toto regno Franciae pro anima mea cures offerri Deo preces et Missae sacrificia.« S. Ephraem ante mortem: »Hortor vos, inquit, ut loco suavis aromatum odoris, vestris me adjuvetis orationibus, in ipsis continue mei memoriam faciatis.« S. Gregorius: *Quia illum transitorium ignem omni tribulatione praesenti aestimo intolerabiliorem, non solum in furore aeternae damnationis opto non argui, sed etiam in ira transeuntis timeo correptione purgari* [1]). Non mirum: quia, ut sensit Cardinalis Bellarminus, »vix ulli justi homines, nisi ex magna misericordia Dei, poenam purgatorii acerbissimam evadunt, ita ut recta ex corpore ad coelum evolent« [2]). Et ita ipse, in litteris ad me tunc Cracoviae manentem, datis 24. Junii, tribus mensibus ante suam mortem, propria manu scriptis, uti humillimus et modestissimus, haec formalia verba italice scripsit: »Si R. V. me amat, duo mihi impetret a Deo: felicem mortem, et breve purgatorium.« Et cum paulo ante suam mortem visitasset eum R. P. N. Generalis Mutius, eumque nomine Cardinalis Ursini, Braciani tunc manentis, salutasset, dixissetque Cardinalem Ursinum sperare, quod D. sua illustriss. recta esset itura ad coelum, sanctus

[1]) Expos. in Ps. poen. III. n. 1. [2]) De amiss. grat. l. I. c. 13. fin.

Cardinalis respondit: »Ego vero hanc spem non habeo.« Ita vir humillimus et Deo plenus difficilem putabat ad coelos rectum sine mora purgatorii ingressum.

Sane S. Teresia de se in vita sua scribit: »Quamvis multarum animarum statum mihi Dominus revelare dignatus sit, ex omnibus tamen, quas vidi, animabus, nescio: an ulla purgatorium evaserit, praeterquam religiosi illius, de quo paulo ante verba feci, et sancti Patris F. Petri de Alcantara, nec non illius Dominicani, cujus supra memini.« Sed post hoc tempus vidit postea multos ad coelum recta euntes.

Et quod mirabilius est, — etsi omnino falsum — nullum fuisse a purgatorio liberum, etiam ipsos Apostolos, senserunt quidam antiqui Doctores: Origenes [1]), Ambrosius [2]), Hilarius [3]). Qui etiam immerito beatissimam Virginem Mariam illud transisse insinuant, nisi forte velint dicere: transisse illud sine ullo sensu poenarum, ut inde quam plurimas liberaret animas, quod divinitus concessum fuisse etiam aliquibus Sanctis, legimus in historiis ecclesiasticis. De S. Francisco id scribit Pisanus [4]) et Marcus Ulyssiponensis [5]). De S. Laurentio Martyre idem scribit S. Gregorius Turonensis, qui ait, S. Laurentium Martyrem singulis feriis sextis liberare unam

[1]) Hom. III. in Ps. XXXVI. n. 1; hom. XIV. in Lucam. [2]) Enarr. in Ps. XXXVI. n. 26; Expos. in Ps. CXVIII. serm. XX. n. 12. ssq. [3]) Tract. in Ps. CXVIII. lit. III. n. 12. [4]) P. II. conf. 3. [5]) P. II. l. IV. c. 29.

animam e purgatorio. De sancto autem Francisco citati auctores scribunt, probante Luca Wadingo [1]), accurato historico, id esse acceptum ex revelatione: cum nimirum semel in anno descendere ad purgatorium et inde extrahere animas eorum, qui sub suis militarunt institutis. Leander Albertus in vita Alberti Magni scribit, meritis ejus sex millia animarum a poenis purgatorii liberata. S. Antoninus [2]) ait, visam animam cujusdam Minoritae duas animas e purgatorio eduxisse. Surius [3]) recenset, Coletam virginem, magna gloria relucentem ab Angelis in coelum ductam, multis eam sequentibus animabus, quas suis meritis et precibus e purgatorii poenis liberaverat. Et Lydwinam seu Lidewigem, adhuc viventem ductam in spiritu ad loca tormentorum, liberasse a gravissimis poenis animam cujusdam sacerdotis, idem Surius scribit [4]). Hoc ergo modo beatissima Virgo Maria potuit transisse purgatorii locum sine ulla poena, sed ut illud evacuaret et animas omnes inde ad coelum secum transferret.

Sanctus quoque Hieronymus in illa verba Prophetae Amos: »*Ecce vocavi ignem ad judicium* [5]), et Lactantius [6]) putarunt, omnes omnino post mortem in purgatorio purgari. Hos tamen Bellarminus [7]) explicat in bono sensu. Si ergo adeo difficile est

---

[1]) Tom. IV. a. Chr. 1371. n. 28. [2]) Tit. XXIV. c. 9. §. 11. [3]) 6. Mart. [4]) Vit. p. III. c. 2. vid. t. XI. Act. Sanct. Boll. 14. April. c. X. n. 111. [5]) Comm. in Amos l. III. c. VII. v. 4. [6]) Instit. div. l. VII. c. 21. [7]) De purgat. l. II. c. 1.

evadere poenas purgatorii acerbissimas: omni conatu laborandum est, ne illas post mortem subeamus; ad quod hoc collectionis annuae tempus est aptissimum, quo commodius adhiberi possunt a nobis modi eas evadendi et plene satisfaciendi Deo pro peccatis commissis a nobis, et nondum expiatis.

CAPUT XI.

De modis evadendi poenas purgatorii in hac vita adhibendis.

Modi abolendi in hac vita poenas peccatis debitas et purgatorium evadendi sunt hi:

I°. Opera justi, quae sic enumerat Concilium Tridentinum [1]): *Si quis dixerit, pro peccatis, quoad poenam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri poenis ab eo inflictis,* [hoc est, ut c. IX. dixerat, *temporalibus flagellis,* seu tribulationibus] *et patienter toleratis, vel a sacerdote injunctis,* [dixerat autem cap. IX. sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis] *sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus....anathema sit.*

Per quae ultima verba — salvo meliore judicio — Concilium videtur docere, per ea quoque pietatis

[1]) Sess. XIV. can. 13; sess. VI. c. 14, ubi ea vocat *pia spiritualis vitae exercitia.*

opera, quae non sunt poenalia, poenas peccatis quoad culpam remissis debitas aboleri. Cum enim sacrum Concilium, praeter triplicia opera poenalia — plures enim species operum poenalium non sunt in hac vita — scilicet: *a Deo inflicta, a confessario injuncta* et *sponte suscepta,* dicat etiam *alia opera pietatis satisfacere pro peccatis,* et haec contradistinguat ab illis triplicibus operibus poenalibus: videtur manifeste dicere, etiam non poenalia opera, si sint opera pietatis, habere vim satisfaciendi pro peccatis et poenas peccatis remissis debitas abolendi.

Confirmo hanc sententiam 1° Christi Domini responso dato B. V. Mariae, audiente S. Brigitta. Cum enim B. Virgo Maria petiisset a Christo Domino: quomodo minui possent poenae purgatorii: inter alios modos, hunc quoque esse dixit diminutivum illarum poenarum: »Non est aliquod minimum verbum, nec etiam minima cogitatio ad honorem meum cogitata sine remuneratione: quia omnia, quaecumque quis fecerit pro me, in poena sua inde habet refrigerium, inde solatium, inde leviorem sentit ardorem, quam aliter persentiret« [1]). Ergo etiam non poenalia: verba, opera et cogitationes sunt minuentes poenas purgatorii: quia sunt inter illa minima, quae Christi D. judicio dicta sunt hanc vim habere.

Confirmatur 2° eadem sententia aliis Christi Domini verbis ipsi S. Brigittae dictis postea; nam docens eam novem modos, quibus homines a pur-

[1]) Revel. l. VI. c. 39.

gatorio liberantur, ponit etiam opera non poenalia. Modi autem a Christo recensiti sunt hi: »1) Passio ejus; 2) immolátio Corporis ejus, — scilicet, Missa — 3) preces electorum in coelo; 4) opera bona quae fiunt in Ecclesia sancta; (— ergo etiam non poenalia, quia etiam non poenalia fiunt in Ecclesia sancta —) 5) preces bonorum viventium in hoc mundo; 6) eleemosynae de bonis juste acquisitis, et si restituantur ea, quae sciuntur male acquisita; 7) labor justorum, qui pro salute animarum peregrinantur; 8) indulgentiae a Pontificibus concessae; 9) poenitentiae aliquae pro animabus assumptae.« [1]).

Confirmatur 3° eadem sententia sermone angelico dicto S. Brigittae, in quo Angelus ei dixit, unam ex causis, ob quas non oportuit B. Virginem gustare post mortem spiritualem amaritudinem, (— quae est etiam pars poenarum purgatorii —) fuisse, quia Maria desiderabat sua voluntate veram dulcedinem [2]), hoc est Deum, vel ejus divinas consolationes. Tale autem desiderium non est poenale, saltem in B. V. Maria poenale non fuit, sicut nec in aliis sanctis poenale esse solet.

Confirmatur 4° eadem sententia aliis Christi verbis, qui dixit S. Brigittae, ex justitia quodammodo Deum teneri, praeservare hominem a purgatorio ob opera quaedam non poenalia. »Haec, inquit, est justitia mea, quod quicumque habet divinam charitatem ad me, et omni desiderio desiderat me, cupiens esse mecum et separari a mundo,

---

[1]) Ibid. c. 66. [2]) Ibid. c. 13.

iste talis sine poena tenetur habere coelum« [1]). At cui Deus dat talem charitatem et tale desiderium, dat prorsus sine ulla poenalitate, sed plenam gaudio et animi solatio, cum quo non potest consistere poenalitas operis talis, qualem dicunt necessariam esse in operibus poenalibus, ut sint satisfactoria.

Confirmatur 5° eadem sententia certa revelatione Romae impressa in vita S. Mariae Magdalenae de Pazzis, Urbano VIII. dicata, huic sanctae facta; quae cum vidisset monialem sui Ordinis Carmelitanam, per sexdecim dies in purgatorio detentam, euntem ad coelum, divinitus intellexit, ei fuisse poenas purgatorii ablatas tres ob causas — quas fuisse in ea poenales, et esse in se, saltem omnes, nemo dixerit. — »Prima erat, sollicita cura, quam semper habuerat ad conservandam puritatem et simplicitatem religionis; secunda, charitas omnibus sororibus promiscue impensa; tertia, quod rem quamlibet verteret in bonum finem.« [2])

Confirmatur 6° eadem sententia doctrina tradita a Deo Patre S. Catharinae Senensi: »Animabus in purgatorio providi, quod vos, qui nunc estis in corpore viventes, eas adjuvare potestis eleemosynis, jejuniis, orationibus, et aliis piis operibus, (— inter quae etiam sunt non poenalia —) in statu gratiae factis« [3]).

Confirmatur 7° auctoritate S. Cypriani, qui

[1]) L. cit. c. 39. [2]) Vit. c. 64. p. 161. cfr. tom. XIX. Act. Sanct. 25. Maj. p. I. c. VII. n. 70. [3]) Dialog. c. 148.

suos excitans ad satisfaciendum Deo pro peccatis lapsorum, monet »justis operibus incumbere, quibus peccata purgantur«. Atqui etiam opera non poenalia sunt opera justa; ergo et illis peccata purgantur. Et alio in loco, allata illa sententia: »*Sicut aqua exstinguit ignem, sic eleemosyna exstinguit peccatum*« (*Eccli. III, 33*); *Hic*, inquit, *ostenditur et probatur, quia, sicut lavacro aquae salutaris* [hoc est, baptismo] *gehennae ignis exstinguitur, ita eleemosynis atque operationibus justis* [qualia sunt etiam non poenalia] *delictorum flamma sopitur* [scilicet, commissorum post susceptum baptismum, uti supra expresse dixerat]. Et addit: *Et quia semel in baptismo remissio peccatorum datur, assidua et jugis operatio* [ac proinde etiam non poenalis, quia non sunt omnia opera poenalia, quae assidue fiunt] *baptismi instar imitata, Dei rursus indulgentiam largitur* [1]). Et infra, hoc dicit esse doctrinam divinitus traditam: *Magisteria divina docuerunt, operationibus justis Deo satisfieri, misericordiae meritis peccata purgari* [2]). Atqui etiam non poenalia opera sunt opera justa; ergo et per non poenalia Deo satisfit et peccata purgantur.

Confirmatur 8° auctoritate theologorum idem sentientium: »Omne opus, inquit Vasquez, hoc ipso, quod bonum est et meritorium vitae aeternae, habet aliquam rationem satisfactionis, ut omnes

---

[1]) De opere et eleemos. n. II. [2]) Ibid. n. V.

scholastici fatentur, et suo loco uberius ostendemus« [1]).

Idem docet Tannerus [2]), citatque pro hac sententia praeter Vasquezium, etiam Cajetanum [3]), Victoriam [4]), Navarrum [5]), Valentiam, et ait a Suario [6]) haberi pro probabili, uti vere habet. Idem tenent Ledesma [7]), et Medina [8]).

Haec scripta sunt a me copiose tres ob causas: Prima, ut excitarem lectorem ad frequentiam bonorum operum et assiduam nec unquam intermissam — quantum per vitae hujus conditionem possibile est — eorum frequentationem, ostensa in iis etiam vi satisfaciendi pro peccatis, non solum merendi et impetrandi. Ut in hac collectione annua excitetur voluntas ad facienda perpetuo bona, et ut monet S. Ambrosius: *Quando finit aliquod opus, non quasi consummato opere feriatur: sed in alia recurrat opera, et semper incrementa virtutis exerceat: quandoquidem videt, quod in fructus suos semper terra revocetur, qui diversi aut vere aut aestate, ut in partibus Orientis, aut aestate autumnoque nascantur, ut in partibus Occidentis* [9]). Ut enim ait S. Bernardus: *Lectulus respersus floribus conscientia est bonis referta operibus; vides certe...nequaquam sufficere semel vel secundo ope-*

[1]) 1. 2. q. LXX. concl. 2. n. q. [2]) Disp. VI. de poenit. q. VIII. n. 44. [3]) Tom. I. opusc. tr. VI. q. I. *Sot.* dist. XIX. q. II. a. 1. [4]) In summa n. 202. [5]) C. 26. [6]) De poenit. disp. XXXVII. sect. 6. n. 8. [7]) Q. XIV. a. 2. dub. 2. [8]) Tr. III. q. 4. [9]) De Noe et arca c. XXIII. n. 83.

rari quod bonum est, nisi incessanter addas nova prioribus, quatenus seminans in benedictionibus, de benedictionibus et metas. Alioquin jacet et marcet flos boni operis, atque in brevi omnis ex eo et nitor exterminatur et vigor, si non aliis atque aliis superjectis pietatis actibus continue reparetur [1]).

Secunda causa me movit ad hanc rem diligenter tractandam, ut moverem lectorem ad amandum tenerius filiali amore Deum, qui nostris etiam minimis et vilissimis operibus pie factis, in beneficium nostrum, indidit omnem illam vim salutarem, quae indi potuit: scilicet, non tantum meritoriam et impetratoriam, sed etiam satisfactoriam. Nosse enim hoc, certo excitat ad filialem erga Deum affectum, apud quem, ut ait S. Chrysostomus, »justificationum mercedem non amittimus, licet vilissima sint, quae fiunt.« Ostendit hoc Deus S. Gertrudi, virgini Benedictinae, tali similitudine: »Sicut usurarius avarus invitus negligeret, si saltem unum denarium lucrari posset: sic ego, qui delicias meas statui habere in te, multo invitius permitterem mihi unum cogitatum, sive motum extremi digiti tui propter me factum, sic perire; quod ipsum in summam laudem meam, (— ac proinde, etiam in satisfactionem pro peccatis, quae ad plenam Dei laudem spectat —) converterem ad tuam salutem aeternam« [2]); cujus magna remora est necessitas satisfaciendi Deo

---

[1]) In Cantic. serm. XLVII. n. 2. [2]) Insin. div. piet. l. V. c. 54.

pro remissis peccatis et obligatio poenas pro illis, in hac vel in altera, vel in utraque vita, luendi.

Tertia causa, ob quam id fuse explicavi, est, ut praemunirem lectorem ad non credendum iis auctoribus, qui vim satisfaciendi solis operibus poenalibus inesse docent et citantur a Suario [1]).

Quibus, etiamsi non essent alii Doctores, opponо S. Thomam, qui diserte docet, id, quod asserui. Nam cum de tribus illis ordinariis operibus poenalibus: oratione, jejunio et eleemosyna, esset locutus, subdit: *Ista tria ponuntur quasi praecipua mortuorum subsidia; quamvis, quaecumque alia bona, quae ex charitate fiunt pro defunctis* [ergo etiam non poenalia], *eis valere credenda sint* [2]).

Quamquam dubium non est, opera poenalia, sive res quascumque molestas vel corpori, vel animo, patienter pro Deo toleratas, habere magnam vim ad satisfaciendum Deo pro peccatis commissis et ad evadendas poenas omnes purgatorii: de molestiis corporis ad hoc praestandum idoneis, multa extant in historiis ecclesiasticis. Propterea bene dixit S. Gregorius Papa: *Mala Lazari purgavit ignis inopiae, et bona divitis remuneravit felicitas transcuntis vitae. Illum paupertas afflixit et tersit, istum abundantia remuneravit et repulit. Quicumque ergo bene in hoc saeculo habetis, cum vos bona egisse recolitis, valde de ipsis pertimescite, ne concessa vobis prosperitas eorumdem remuneratio sit*

---

[1]) De poenit. disp. XXXVII. sect. 6. n. 2. [2]) In l. IV. dist. XLV. q. 2. a. 3. solut. 1.

bonorum. Et cum quoslibet pauperes nonnulla reprehensibilia perpetrare conspicitis, nolite despicere, nolite desperare, quia fortasse, quos superfluitas tenuissimae pravitatis inquinat, caminus paupertatis purgat [1]). Ideoque merito paupertas voluntaria martyrium appellatur a sanctis: Chrysostomo [2]), Bernardo [3]) et M. Magdalena de Pazzis [4]).

De molestiis animi varia exempla extant. Praeclara hujus rei adfert exempla duo Cardinalis Bellarminus [5]) ostendentia unum e modis evadendi poenas purgatorii.

Primum est de S. Engelberto Archiepiscopo Coloniensi; qui quoniam, dum volutaretur in suo sanguine, quadraginta septem vulneribus affectus ab occisoribus suis, et jam moriturus esset, percussoribus suis medullitus ignovit, ita dicens: »Pater ignosce illis«; propter hunc sermonem tam potens effectus est apud Altissimum, ut non negetur ei, quicquid ab illo petierit, et anima ejus subito ab angelis suscepta et in coelum delata, ac inter choros Martyrum collocata est, et ipse ob eandem condonationem multis post obitum claruit miraculis, quemadmodum ipse daemon, Deo veritatem fateri cogente, fassus est, et scribitur a Caesario monacho in vita S. Engelberti scripta ad S. Engelberti successorem apud Surium 7. Novembris [6]).

---

[1]) In Evang. hom. XL. n. 6. [2]) In Matth. hom. IV. n. 11. sq.; hom. XI. in c. VI. ep. ad Hebr. n. 3. [3]) Serm. I. in fest. omn. Sanct. n. 8. [4]) Vit. p. II. c. VII. n. 223. tom. XIX. Act. Sanct. Boll. [5]) De septem verbis Domini l. I. c. 3. [6]) L. II. c 3.

Alterum hujus rei exemplum adfert Bellarminus [1]), relatum a S. Gregorio Papa, quod S. Gregorii verbis malo referre: *Duo,* inquit, *sunt martyrii genera, unum in mente, aliud in mente simul et actione. Itaque esse martyres possumus, etiamsi nullo percutientium ferro trucidemur. Mori quippe a persequente martyrium in aperto opere est; ferre vero contumelias, odientem diligere, martyrium est in occulta cogitatione.* Et cum talem fuisse martyrem S. Joannem Evangelistam dixisset, subdit: *Et nos ergo hoc exemplo sine ferro esse possumus martyres, si patientiam veraciter in animo custodimus.* Quod hoc confirmat exemplo: *Fuit quidam diebus nostris Stephanus nomine, pater monasterii juxta Reatinae urbis moenia constituti, vir valde sanctus, virtute patientiae singularis....quae in eo vehementer excreverat, ita ut eum sibi amicum crederet, qui sibi molestiae aliquid irrogasset; reddebat contumeliis gratias; si quod in ipsa sua inopia damnum ei fuisset illatum, hoc maximum lucrum putabat; omnes suos adversarios nihil aliud quam adjutores aestimabat. Hunc cum dies mortis egredi de corpore urgeret, aliqui qui convenerant, ut tam sanctae animae de hoc mundo recedenti suas animas commendarent....corporeis oculis ingredientes angelos viderunt... Ecce, fratres charissimi, servata....patientia, ad quantum hunc retributionis culmen erexit.... Quibus hunc credamus nisi sanctis martyribus sociatum, quem, attestantibus cor-*

[1]) Op. cit. l. II. c. 10.

porcis quoque oculis, a beatis spiritibus constat esse susceptum? Nullo iste gladio percussus occubuit, et tamen coronam patientiae, quam in mente tenuit, in egressione percepit [1]).

Quocirca beatum te reputa, dum aliquam pateris injuriam, vel potius molestiam: quia recto judicio, id pro injuria habendum non est, quod te instar martyrii ad rectum sine purgatorii remora perducit ingressum in coelum. Nam, ut scribit S. Isidorus Pelusiota: *Si levibus ac ferendis et sanabilibus peccatis admissis, acerbi aliquid in hac vita perpetiamur, hac ratione peccatorum maculas abstergimus* [2]). Quod sane agnovisse etium Senecam scribit Lactantius [3]), dum tradidit, Deum suorum labeculas vexationibus et castigationibus eluere. Ideo ob injurias illatas noli petere ullam compensationem aut satisfactionem; noli quaerere ullam ejus, qui te aliqua affecit molestia, punitionem; noli conqueri coram ipso, aut coram tuis aequalibus; noli exprobrare ei, qui tibi exstitit molestus, sed age Deo gratias tanquam pro insigni munere; ama tales amicos et adjutores pro facili in coelos ingressu, beneficiis affice, tanquam martyrii palmam per eos assecutus. Nam, quod ait S. Cyprianus de maledicis Ecclesiae infestis, id quoque tibi dictum puta: *Quod in illis est, homicidae sunt apud Deum tales; necare tamen non possunt, nisi eis Dominus necare permiserit. Et cum nobis semel moriendum*

---

[1]) In Evang. hom. XXXV. n. 7. 8. [2]) L. III epist. 203. [3]) Instit. div. l. V. c. 23.

sit, illi tamen odio et verbis et delictis suis quotidie perimunt [1]). Merito ergo S. Joannes Climacus dixit: *Felix ille, qui quotidie Dei causa conviciis exagitatus et contentus violenter seipsum (per patientiam) vincit, nae ille cum martyribus tripudiabit, et inter angelos liber ut angelus incedet* [2]). Hinc S. Augustinus: *Aptavit,* inquit, *Christus sibi Ecclesiam non habentem maculam aut rugam. Et ideo continuis orationibus, et frequentibus jejuniis, et largioribus eleemosynis, et praecipue per indulgentiam eorum, qui in nos peccant, assidue redimantur peccata* [3]).

Porro quam difficile sit per bona opera satisfacere pro peccatis singulis, et quam multa sint bona opera facienda, ut satisfiat Deo offenso pro singulis offensis, declaravit ipse Dominus S. Gertrudi, quae, cum petiisset a Domino: »Quam emendationem maxime acceptares pro qualibet offensa?« tunc intellexit, Dominum acceptare, si in honorem sanctorum suorum membrorum dicerentur ducenta viginti quinque *Pater noster*, et totidem opera charitatis proximi exhiberentur ob reverentiam illius, qui dixit: »*Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*« *(Matth. XXV, 40)*; in unione illius amoris, quo Deus homo factus est pro nobis, et totidem continentiae inanium et inutilium delectationum ipsius divinae delectationi offerrentur. »O quanta et quam ineffabilis est misericor-

[1]) Inter S. Cornelii P. ep. XII. n. 2. [2]) Scala parad. grad. IV. 67. [3]) Serm. CIV. n. 4. inter suppos.

dia Dei amatoris nostri, — subdit S. Gertrudis — qui talia a nobis tantopere acceptat, immo et remunerat oblata, quae si non offerrentur, ultio poenae condigna juste sequeretur« [1]); scilicet: vel hic, vel in purgatorio luendae ob offensas peccatorum commissorum.

II⁰. Eaedem poenae abolentur per bonum usum sacramentorum, praesertim SS. Eucharistiae, et ut sacrificium est, et ut sacramentum est. Prodest enim etiam ad abolitionem poenarum tam suscipienti — tanquam sacramentum — ea justo, quam alteri justo seu vivo seu mortuo, pro quo tanquam sacrificium offertur.

Exstat pulchrum hujus rei exemplum in historia Ordinis Praedicatorum: Cum frater Ivo vidisset umbram cujusdam fratris stantis in habitu sordido et peregrino, et quaereret quis esset? respondissetque: »Ego sum frater talis, qui nuper obii,« et se in durissima poena esse debere per quindecim annos dixisset: Ivo, cum dies illuxisset, coepit offerre Deo hostiam salutarem pro illo, quam cum consecratam in manibus teneret, dixit Domino: »Domine Jesu Christe! si Soldanus Babyloniae teneret captivum in vinculis, et camerarius ejus, qui viginti annis servivisset ei, pro servitio suo dictum captivum peteret dari, Soldanus ei de facili non negaret. Domine non es durior Soldano; camerarius tuus sum, per multos jam annos devote tibi servivi, tenes captivum illum dilectum fratrem meum; igitur pro

[1]) Insin. div. piet. l. III. c. 12.

servitio meo peto, illum mihi dari a clementia tua.« Cumque verba ista cum multis lacrymis pluries inculcasset, post multas lacrymas Missam finivit. Sequenti vero nocte stanti in oratione Ivoni, post matutinas, apparuit ille frater in habitu candido et praeclaro, dicens: »Bene sum per gratiam Dei: petiisti enim me a Domino, et dedit me tibi, et jam liberatus a purgatorio vado ad societatem spirituum beatorum«; et hoc dicto statim disparuit [1]). Tantum valet unius servi Dei Missa una devote dicta, si fuerit oblata Deo a servo, qui multis annis devote Deo servivit, ut possit unica Missa multorum annorum poenas decretas abolere. Indicavit hanc suam benignitatem Christus Dominus S. Gertrudi: »Attende minutam formulam hostiae, in qua totam Deitatem et humanitatem meam tibi exhibeo, et confer quantitatem illius cum quantitate humani corporis, et inde aestima dignationem benignitatis meae: quia sicut hominum corpus excedit in quantitate corpus meum, id est, quantitatem speciei panis, sub qua est corpus meum, sic misericordia et charitas mea trahit me in hoc sacramento, ut sinam amantem animam aliqualiter praevalere mihi, sicut corpus humanum in quantitate corpus meum« [2]).

Qua in re diligenter notanda est certa S. Thomae doctrina dicentis [3]): Eucharistiam, dum ut sacramentum sumitur, sumenti, per se, — scilicet ex

---

[1]) Hist. ord. Praedicat. p. V. c. 4. [2]) Insin. div. piet. l. III. c. 17. [3]) 3. q. LXXIX. a. 5; a. 7. ad 2; q. LXXXII. a. 6.

opere operato — non conferre remissionem vel diminutionem poenae temporalis, sed per concomitantiam, ratione devotionis seu fervoris, quem in sumente excitat; Eucharistiam vero, dum ut sacrificium offertur, in offerente et in aliis, pro quibus offertur, per se — scilicet ex opere operato — minuere vel remittere poenam temporalem; verumtamen per eam, et ut sacramentum et ut sacrificium est, non remitti totam poenam, — etsi eam posset remittere — *sed secundum modum sive quantitatem devotionis et fervoris, cum quo offertur ut sacrificium, vel sumitur ut sacramentum:* excitans in sumente actum charitatis, per quem remittitur haec poena. Ideo danda est opera, ut cum quam maximo fieri potest fervore sumatur in sancta communione a fratribus Eucharistia, et a Patribus dicatur Missa, si volunt a tota poena peccatis remissis debita liberari et effugere poenas gravissimas purgatorii post mortem. Nam et extra sacramenta *peccata venialia per fervorem charitatis purgantur,* ut alibi docet S. Thomas [1]).

Quod confirmari potest praeclaro responso Domini, dato cuidam in Insinuationibus divinae pietatis factis S. Gertrudi virgini Ordinis S. Benedicti: »Quamvis, inquit, animabus multum prosit, quicquid fit pro remedio earum in vigiliis ceterisque orationibus, tamen multo plus valet eis, cum ex affectu et paucis quinque verbis oratur pro eis. Sicut si aliquis habens lutosas manus, si frequenter

[1]) 1. 2. q. LXXXIX. a. 2. ad 3.

super eas aquam funderet, tandem mundarentur: cum lutum liquefieret et cum aqua defluerent; si vero violenter eas lavaret, etiam modica aqua contentus, citius mundarentur: sic sciendum est, quod supra multas lectas vigilias et orationes alias majorem habet effectum unum verbum ex affectu ardenti oratum, et multo majorem obtinet relaxationem animabus, quam si multum pro eis esset lectum tepido corde« [1]). Huc spectat quod scribit Marcus Ulyssiponensis, quendam fratrem Ordinis S. Francisci ex pacto apparuisse cuidam Minoritae sacerdoti, et rogatum dixisse: »Se esse in purgatorio ob peccata irae, et quia in vita non aestimabat suos fratres, et sine respectu quodam reverentiali tractabat. Cum autem interrogatus esset ab eodem Patre: num Missae a se pro eo dictae eum juvissent, respondisse, se quidem ab eis adjutum, sed, si dictae fuissent cum majore fervore et devotione, multo plus adjuvissent« [2]).

Simus ergo ferventes, ut dum vivimus hoc fervore nostra peccata et eorum poenas exuramus. *Bona charitas*, inquit S. Ambrosius, *habens alas ignis ardentis, quae volitat per pectora et corda sanctorum, exurit quidquid materiale atque terrenum est; quidquid vero sincerum est, probat, et quod contigerit, suo igne meliorat* [3]).

III°. Poenae purgatorii abolentur et evaduntur a justis, dum indulgentias a Romanis Pontificibus

---

[1]) L. V. c. 13. [2]) Chronic. S. Francisci p. II. l. IV. c. 34. [3]) De Isaac et anima. c. VIII. n. 77.

concessas lucrantur. Eae enim et viventibus prosunt et defunctorum animabus, dum per modum suffragii iis applicantur; sicut et commmunio ex opere operantis prodest etiam aliis, tum vivis, tum defunctis, dum pro illis ab eo, qui communicat, offertur, ut bene docet Suarez [1]). Quia tamen ex historiis ecclesiasticis certis constat, multos religiosos, — etsi habeant indulgentiam plenariam pro puncto mortis, dicentibus ore vel saltem corde nomen sanctissimum Jesu concessam — non evasisse diuturnas poenas purgatorii, etiamsi omnibus sacramentis devotissime susceptis obierint [2]): ideo qui poenas illas vult evadere, ante mortem summo cum fervore faciat omnia opera ordinaria, quae facit, eaque speciali oblatione Deo offerat ob finem aliquem supernaturalem, et conetur peccare rarissime et levissime, et admissa peccata statim aboleat modis in sancta Ecclesia usitatis; scilicet: confessione, contritione, amore Dei, odio peccati, oratione peccatorum venialium remissionem postulante, denique quovis actu virtutis, quo stante homo non peccaret: quia repugnat peccato, et vocatur a theologis virtualis poenitentia. Hac ratione enim evaderet purgatorii poenas, uti et per continuum in virtutibus profectum. Pro qua re notandum est praeclarum exemplum, quod legitur in libro virorum illustrium solitudinis Villariensis de beato Godefrido: »Recordare, quod cum olim esses junior, gloriosa Virgo

---

[1]) De Sacram. disp. LXIII. sect. 10. n. 5. [2]) vide supra c. X. pag. 170, ssq.

Maria per me tibi nuntiabat, dicens: Frater Abunde dic fratri Godefrido, ut proficiat de virtute in virtutem; sic et erit Filii mei et meus monachus, et cum migraverit anima ejus a corpore, non dimittam eam venire in purgatorium, sed suscipiam eam et offeram Filio meo.« Quod sane doctrina theologica confirmari potest. Qui enim serio et accurate attendit semper suo spirituali in virtutibus profectui, peccata omnia, praesertim deliberata, valde vitat, et raro ea committit, ob quae sola itur ad purgatorium, et alia opera supernaturalia satisfactoria facit plurima quotidie, quibus abolentur poenae debitae pro peccatis, immo et pro thesauro indulgentiarum Ecclesiae multa relinquit. Et ita omnes illi servi Dei, quos scimus ex eorum vitis recta ivisse ad coelum post mortem sine purgatorii poenis, rarissime peccabant, et ferventissime omnia opera sua peragebant, uti et illi, quibus Deus revelavit, dum viverent, eos ad coelum recta ituros post mortem sine ullis purgatorii et sensus et damni poenis. Nam, ut bene post alios theologos scripsit P. Platus: »Pontificia potestas, quamquam ea amplissima est, quibusdam tamen terminis restringitur. Nam et causam aliquam existere oportet, et quidem justam, et aequalem indulgentiae, et deinde opus etiam aliquod injungi oportet aptum ad satisfaciendum, atque hoc etiam ejusmodi, ut proportione aliqua peccatis, quae relaxantur, respondeat. Itaque, si alterutrum desit, vel non valet indulgentia, vel tantum valet, quantum est pondus illius causae et illius operis: quae quoniam hominum judicio atque aestimatione

metienda sunt, facile, ut in rebus obscuris, fieri potest, ut vel tota labet indulgentia, vel certe ex parte; maxime cum etiam in iis operibus, quae injuncta sunt, exequendis, multum peccari possit negligentia et incuria« [1]).

Sane memini dictum mihi olim a s. m. Cardinali Bellarmino, ad consequendum indulgentiarum effectum, opera injuncta pro consequenda indulgentia, debere esse illi proportionata; exempli gratia: (— hoc exemplum attulit) — »pro consequenda una quadragena indulgentiarum debere praemitti jejunium peculiare quadraginta dierum, et pro indulgentia plenaria non esse satis dicere quinque *Pater* et *Ave*, vel aliquid minus.« Haec sanctus et doctus ille vir mihi dixit, dum esset Cardinalis et habitaret in palatio S. Petri prope Paulum V., qui eum pro consiliis prope se habitare voluit. Ideo olim pro defunctis valde caro affligebatur vivorum.

S. Petrus Damiani: *Illud silentio praeteriri dignum esse non ducimus, quia cum frater quispiam ex nostris obierit, unusquisque pro eo septem dies jejunat, septem disciplinas cum millenis scoparum ictibus accipit, septingentas metanaeas facit, triginta insuper Psalteria ex more decantat, continuis quoque triginta pro eo diebus missarum solemnia specialiter celebrantur. Haec igitur hujus loci regula nulla voti varietate postponitur: haec consuetudo circa defunctos districta prorsus et inviolabili semper observatione tenetur. Si quis autem*

[1]) De bono stat. relig. l. I. c. 13.

fortasse novitius, vel quolibet modo morte praeventus, injunctam poenitentiam consummare non potuit, mox ut ad fratrum notitiam res patefacta pervenerit, cum magno fervore tota poenitentia parili facta inter eos divisione suscipitur: et quantalibet sit, brevi spatio per diversos afflictionum modos ovanter expletur [1]).

IV°. S. Maria Magdalena de Pazzis docebat Novitias facere omnia opera sua, majora et minora, externa et interna, cum pura intentione placendi Deo et ad divinae suae majestatis gloriam: dicebatque, quod qui taliter faceret omnia, et singulos quosque motus, usque ad unum, ut sic dicam, ictum oculi, post mortem recta ascenderet in paradisum, ne viso quidem purgatorio [2]).

Merito id suadebat haec Sancta: tum quia fundatum est hoc ejus monitum in canone Concilii Tridentini supra [3]) citato, tum quia hoc ipsum docuit S. Gregorius Papa: *Fidenter dico, quia salutari hostia post mortem non indigebimus, si ante mortem Deo ipsi hostia fuerimus* [4]). Qui autem ferventer Deo serviens singula opera offert, Deo perpetua est hostia tanto magis, si nil in religione pro se eligat, nihil detrectet, sed se plane voluntati Dei in manibus ejus vicariorum resignet et quasi donet, paratus omnia facere, quae jubebitur, non dolens, si non promoveatur, si degradetur, si nihili

---

[1]) Opusc. XIV. col. 325. [2]) *Cepar.* vit. c. X. n. 111. t. XIX. Act. Sanct. Boll. 25 Maj. [3]) Init. h. c. I°. [4]) Dialog. l. IV. c. ult.

fiat, si postponatur aliis. Quia, ut Christus Dominus dixit S. Brigittae: »Qui propriam voluntatem relinquit mihi, Deo suo, obediens mihi, habebit coelum sine poena« [1]). Hoc ipsum aliis verbis edocta fuit S. M. Magdalena de Pazzis, teste Puccino ejus confessario. Cum enim in raptu Jesum interrogasset, qua praecautione esset utendum ad evadendum purgatorii poenas tam atroces, dixit alta voce: »Oportet in omnibus et per omnia seipsum exuere, et induere te, Domine mi. Oportet ambulare cum pura et sincera intentione: et vae illis, qui habent aliam quam tibi serviendi teque honorandi, o Jesu mi, vel salutem animae suae curandi [2]).«

Est autem tanti momenti pura et defaecata intentio, quae adhibetur in operibus ad Dei laudem et gloriam relatis, ut etiam actiones natura sua indifferentes et ad proprium commodum corporis nostri honestum spectantes, si offerantur ad laudem Dei, adferunt levamen poenarum purgatorii. Exstat hujus rei confirmatio in gestis S. Gertrudis virginis, in quibus narratur apparitio cujusdam Hermanni laici existentis in purgatorio, qui dixit, inter alia levamina poenarum purgatorii fuisse etiam haec, »quando intercessores ejus, omne quod agebant, per bonam intentionem dirigebant ad laudem Dei, ut est, laborare, et etiam comedere et dormire, et similia [3]).« Haec sunt verba formalia in illo libro — ut

[1]) Revel. l. V. interrog. 4. respons. ad quaest. 5. [2]) Vit. p. II. c. VII. n. 230. t. XIX. Boll. [3]) Insin. div. piet. l. V. c. 15.

ibidem scribitur — ab ipso Domino approbato et laudato et jubente, ut vulgaretur [1]).

V⁰. Actus aliquis heroicus solet esse causa, ut intuitu ipsius Deus praeservet aliquem a poenis purgatorii, ob illum actum ex gratia ejus factum concedendo alia auxilia gratiae ad bene et ferventer operandum, quantum satis est judicio divino, ut per illa opera satisfaciat Deo pro peccatis a se commissis, aliquando vero etiam pro peccatis aliorum. Diversi enim sunt bonorum operum actus, qui poenas purgatorii vel minuunt, vel prorsus totaliter tollunt. Recensebo hic aliquot: Insigne refert exemplum hujus rei Seraphinus Razius, et ex eo noster Dauroultius: quemdam nobilem Florentinum, occisori sui fratris germani ad genua sua procidenti, veniamque petenti pepercisse; sequenti autem nocte Christum vidisse dicentem: »Quoniam heri amore mei condonasti inimico tuo, noveris, me animam fratris occisi hac hora e purgatorio liberasse, et insuper animam patris tui ex eadem poena exemisse, et ambos mecum duxisse ad gloriam coelestem; te quoque invito in octavum diem, ut relicta hujus mundi miseria, possis gloria mea frui.« Et sic factum est: nam octavo post die, bene praeparatus, sancte quievit [2]).

Scribit Thomas Cantipratanus, S. Bernardum vidisse alicubi quendam religiosum in messe strenue

---

[1]) L. II. c. 10; l. III. c. 64; l. IV. c. 56; l. V. cc. 33. 36. [2]) *Razius,* Hort. exempl. tit. de dilect. inimic.; *Daur.* Cat. hist. c. II. tit. 25. exempl. 12.

laborantem, et Spiritus sancti afflatu coram aliis ei praedixisse: »Eja frater, age quod agis, nullum aliud post hanc vitam purgatorium sustinebis« [1]).

Confirmatur hoc ipsum praeclaro exemplo, quod legimus in annuis litteris Societatis Provinciae Aragoniae [2]); fuisse in domo professa Valentina P. Michaelem a Fontibus, Valentinum, a. 1606 mortuum, cum triginta septem annis Professus fuisset, et ex his viginti annos in India transegisset, peditem itinera obivisse, etiam quinquaginta leucarum, dum esset sexagenarius. Cum autem in India aliquando ex laboribus consternatus jaceret, apparuit ei beatissima Virgo, bono illum animo esse jubens: ob hos enim labores a purgatorio liberum fore, rectaque ad coelum post mortem iturum.

Cum S. Gertrudis vidisset quandam animam in purgatorio, quae communibus suffragiis Ecclesiae juvari non poterat ob quoddam impedimentum, — quod supra [3]) relatum est — petiit a Domino, eam ut doceret, quibus orationibus posset obtinere, ut anima cujuslibet defuncti liberetur ab hoc terribili pondere, quod est impedimentum suffragiorum Ecclesiae. Dominus respondit: »Per talem affectum amoris, qualem tu in hac hora sensisti; non per orationes. Et sicut hoc nullus homo per se potest habere, nisi ergo dederim: sic etiam tale auxilium nulli animae praestari potest post mortem, nisi quae speciali gratia hoc promeruit in hac vita. Scias tamen, hoc

[1]) Apum. l. II. c. 5. [2]) A. 1606. pag. 120. [3]) Cap. IV. III⁰. pag. 43.

ipsum intolerabile gravamen processu temporis relevari quibuslibet orationibus sive laboribus amicorum, fideli intentione peractis. Et ita citius vel tardius liberantur, secundum quod conatus fidelium, pro eis affectuosiori instat devotioni, et secundum etiam, quod in hac vita promeruerunt.«

De B. Maria Oigniacensi scribit Jacobus de Vitriaco Episcopus et Cardinalis, eam aliquo tempore a festo sanctae Crucis usque ad Pascha Domini, silentium, fere nullum verbum proferendo, tenuisse. Cujusmodi silentium Dominus adeo acceptavit, quod Spiritu sancto revelante, propter hoc super omnia, absque purgatorio ad coelum evolare, a Domino obtinuit [1]). Nam, ut ait S. Bernardus, *in hydria silentii purificamur a peccatis, quae verbositate* [et aliis modis] *contrahimus* [2]). Sane ex vitis Sanctorum impressis apparet, omnes illos, quicunque in adulta aetate leguntur recta ivisse ad coelum sine purgatorio, eos insignem aliquem et plane heroicum actum edidisse, praesertim conjunctum cum magna vel sensuum mortificatione, vel animi per toleratas aequo animo magnas injurias, et persecutiones, et confusionem, et contemptum sui; quod certe ingenuis hominibus et honesto loco natis toleratu multo difficilius est, quam ferro caput amputandum exponere, et tale subire martyrium, cujus beneficio evaduntur poenae purgatorii, si quis ita moreretur sine ullo affectu ad ullum peccatum.

---

[1]) Act. Sanct. Boll. t. XXV. 23 Jun. Vit. l. I. c. IV. n. 38. [2]) Serm. de diversis LV. n. 1.

CAPUT XII.

Armandus animus ad cruces post octiduanam recollectionem ferendas.

Quoniam *omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu persecutionem patientur*, uti praemonet Apostolus [1]): ideo si post finitam recollectionem tuam vivere incipies melius, quam antea, persecutionem patieris, et quidem majorem ab hominibus, quam a daemonibus. »A daemonibus quidem, uti S. Brigittae revelatum fuit, duobus modis: Primo quia summe desiderant, ut ipsum novum servum Dei (— renovatum scilicet in exercitiis vel alio tempore —) recidivum faciant ad peccata. Qui si hoc nequiverint, tunc ipsi daemones ad hoc sollicite laborant, ut irrationabiliter et indiscrete ille sua bona opera perficiat, scilicet in vigilando, vel abstinentias indiscreto faciendo, ut sic ejus vires citius evacuentur, et in divinis laboribus sit infirmior. Homines vero dupliciter eos damnare seu nocere conantur spiritualiter. Primo namque verbis suis vituperant eos. Secundo etiam, si possunt, libenter eos operibus suis molestant, ut sic eos sibi in vita et actibus similes faciant, retrahendo eos a bonis inceptis. Sed homo Dei, sic noviter conversus ad vitam spiritualem, istos tales malignos homines optime vincere potest: si contra verba sibi contraria

[1]) II. Tim. III, 12.

patientiam habuerit, et si tunc frequentius et ferventius bona opera spiritualia et divina ipsis videntibus exercuerit.« [1]) Sic etiam praemonuit multo ante S. Augustinus: *Quisquis sublimia illa praecepta implere voluerit,....incidit in istorum sacrilegam dicacitatem, et ab eis, qui sanari nolunt, vocatur insanus; et saepe ne hoc vocetur a desperatis hominibus, trepidat facere et differt, quod omnium fidelissimus et potentissimus medicus imperavit* [2]). Et ut alibi dixit: *Quomodo inter paganos qui fuerit Christianus, a paganis audit verba aspera, quibus si erubuerit, cadit in muscipulam venantium: sic inter Christianos qui voluerint esse diligentiores et meliores, ab ipsis Christianis audituri sunt insultationes....dicunt: »Magnus tu, justus, tu es Elias, tu es Petrus, de coelo venisti.« Insultant; quocunque se verterit, audit hinc atque inde verbum asperum. Quod si timet et recedit a via Christi, cadit in laqueos venantium* [3]). Ideo, ne succumbas persecutionibus ob meliorem vivendi modum, si contra te exsurgerent, quamdiu te senties debilem in eis portandis, his motivis te erigere et excitare poteris, quae suppeditant sancti multa propter justitiam passi.

I°. Animet te pro futuris persecutionibus praemonitio saepius data a Spiritu sancto: *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et praepara animam tuam ad tentationem* [4]). Et:

---

[1]) Revel. l. IV. c. 79. [2]) Enarr. in Ps. VI. n. 12. [3]) Enarr. in Ps. XC. serm. I. n. 4. [4]) Eccli. II, 1.

Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret: quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis: Non est servus major domino suo. Si me persecuti sunt, et vos persequentur [1]). Et: *Absque synagogis facient vos* [2]), id est, fugient vos: non libenter vos admittent ad conversationem suam. Plane hoc exspecta, quod Ecclesiasticus praedixit: *Scito, quoniam in medio laqueorum ingredieris* [3]). *Quid est,* inquit S. Augustinus, *in medio laqueorum? In via Christi, et hinc laquei, et hinc laquei; laquei a dextris, laquei a sinistris: laquei a dextris, prosperitas saeculi: laquei a sinistris, adversitas saeculi: laquei a dextris, promissiones; laquei a sinistris, terrores. Tu in medio laqueorum ingredere, a via noli discedere* [ab exacta observatione regularum et contemptú humanorum respectuum]: *nec promissio te capiat, nec terror elidat* [4]). Pondera etiam illa verba Sap. II, 12 et seq. quibus similia solent discoli et indisciplinati, vel corde, vel ore, vel factis ipsis exprimere: *Circumveniamus justum, quoniam inutilis est nobis, et contrarius est operibus nostris, et improperat nobis peccata legis* [transgressiones regularum et ordinationum], *et diffamat in nos peccata disciplinae nostrae* [deferendo ea Superioribus]. *Factus est nobis in traductionem*

---

[1]) Joan. XV, 18—20. [2]) Joan. XVI, 2. [3]) Eccli. IX, 20. [4]) Enarr. in Ps. CXLI. n. 9.

cogitationum nostrarum: [quia non sequitur dictamina et consilia nostra]. *Gravis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, et immutatae sunt viae ejus. Tanquam nugaces aestimati sumus ab illo; et abstinet se a viis nostris tanquam ab immunditiis; etc.*

II°. Quia per futuras persecutiones abolebuntur culpae peccatorum tuorum antea commissorum. *Pius et misericors est Deus, et remittet in die tribulationis peccata* [1]). »Ille beatus est, inquit S. Chrysostomus, qui hic poenas luit, ut peccatis omnibus depositis, probatus migret et mundus ac insons. Itaque cum rebus adversis premimur, gaudeamus: hoc enim est peccatorum expiatio.« Huic consona docuit S. Maximus: *Humilitas, et malorum tolerantia, ab omni delicto liberant hominem: illa quidem animae, haec vero corporis resecans affectus. Hoc fecisse quoque B. David in his videtur, quibus ad Deum precatur, dicens: Vide humilitatem meam et laborem meum, et dimitte universa delicta mea* [2]). Hoc tali similitudine declarat S. Cyprianus Martyr: *Deus a nobis non exposcit nisi facta sincera: aurum, ut ipse dixit, similes esse debemus. Aurum quippe cum reluentibus terris tremulo videris splendere sub lumine et in liquidum flammis torrentibus resolvi, nam et artificis gratia fere sic est, caminis quoties anhelantibus aestuans ignis evomitur, aditu terrae canali angusto dives flamma elicitur, et refluentibus glebis*

[1]) Eccli. II, 13. [2]) Cap. de charit. centur. I. n. 76.

arena retinetur. Unde necesse est universa sufferre, quo possimus omni scelere carere [1]).

III°. Etiam poenae peccatis remissis debitae, in hac vita vel in altera luendae, per tribulationes futuras abolebuntur. *Patiens*, inquit S. Laurentius Justinianus, *sapienter agit, ut debita sua solvat. Nihil enim de suo in solvendo expendit, sed facit, ut hostes sui pro se solvant. Illatas namque ab eis injurias sustinens ditatur abunde.... Sicque fit, ut contumeliis magis gratia, quam ira debeatur, cum earum interventu, Deo judice, et poena gravior declinari posse confidatur; et ingentes thesauri in conscientia per patientiam recondantur.... Patientia hominem martyrem facit* [2]); proinde purgat a peccatorum poenis tanquam martyrium. Quod exempla in historiis ecclesiasticis confirmant, tum alia, tum supra allata [3]).

IV°. Per persecutiones ob bonam vitam excitatas perfectio acquiritur. Ideo S. P. N. Ignatius P. Hieronymo Natali quaerenti: qua via cito ad perfectionem pervenire posset, respondit: Si eum Dei beneficio multa pati contingeret. Quae verba S. Pater fundens lacrymas dixit P. Natali, et is postea nostro fratri Paulo Cicotto viro sancto, a quo id audivi. Ita Deus dixit B. Catharinae Bononiensi, »quod non facile reperiatur, qui ad sublimem perfectionem pertingat: quia arma ad ipsam necessa-

---

[1]) De laude martyr. n. XVI. [2]) De patient. c. II. [3]) C. XI. pag. 187, sq.

ria plus satis negliguntur, praesertim in ferendis adversis.«

V°. Ob vitam mutatam in melius et continuatam excitatae persecutiones sunt signum divinae praedestinationis, si in tali vivendi ratione vita justi finiatur. *Est quidem in justis tribulatio,* inquit S. Laurentius Justinianus, *amoris indicium, futurae beatitudinis praesagium, et praedestinationis testimonium* [1]). Fundatur haec doctrina in promissione Christi Domini, eam disertis verbis tradentis: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum coelorum* [2]). Et alias *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis; et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo, et sedeatis super thronos, judicantes duodecim tribus Israel* [3]). Merito ergo S. Chrysostomus, spectatis ingentibus bonis, quae persecutiones imperfectorum tribulatis pariunt, dixit: »Fieri non potest, ut bonus vir quidquam mali patiatur.«

VI°. Omnes persecutiones et adversitates, quae te invadent, si vitam mutaveris in melius, erunt triplices: verborum, factorum, fugarum. Nam forte perstringent te saeculares verbis aculeatis et irrisoriis; depriment te aliqui, sua contra te ferendo judicia non faventia de tua doctrina, virtute, prudentia, et aliis talentis; et discoli declinabunt a

---

[1]) De casto connub. c. VI. col. 2. [2]) Matth. V, 10. [3]) Luc. XXII, 28—30.

conversatione tua et fugient. Aliud timere non poteris. His persecutionibus oppone Dominum Deum tuum, qui pro te nominatim, antequam natus esses, obtulit Patri aeterno in aeternitate majora mala pro te toleranda et sanguinem ac animam suam pro te dandam, cum jactura rerum majorum, quam sint eae, quas timendo vel desiderando abhorres a crucibus, et humanis respectibus laboras.

Pone ergo in una statera: quidquid Christus Dominus pro te fecit et pro te perdidit et pro te passus est; in altera vero: omnes cruces, quas times vel pateris, et omnia favorabilia, quae desideras cum damno perfectionis tuae; et agnosces, te nec crucem ullam, nec ullam personam debere metuere, ubi agitur de perfectione tua et negotio Christi tui, cujus negotium est perfectio tua, profectus in virtute tuus, victoria tui, neglectus humanorum respectuum, fuga omnium imperfectionum et sociorum te in perfectione acquirenda impedientium: pro his enim omnibus Christus mortuus est, ut te ditaret tum his, tum aliis virtutibus, quae sunt bona longe majora quam illa, ob quae vel imperfecte vivis, vel vivere perfecte non audes, ne offendas alios, non curans interim stulte Deum causa illorum offendere, et quidem illum Deum, a quo tot bona naturae et gratiae accepisti, et plura adhuc accipere potes, et qui te judicabit severissime ob istos humanos respectus et aversionem ab exacto studio virtutum et vitae sanctae exercitationibus, et ob socordiam et negligentiam in serio profectu virtutum, longe minore quam fuerit hactenus pro-

fectus tuus in studiis, vel in aliarum rerum acquisita notitia, aut in diligentia et expeditione aliorum negotiorum humanorum et occupationum non spiritualium.

Praevidens itaque futuras persecutiones, quas, teste Apostolo, omnes pie vivere volentes pati necesse est, infige cordi tuo profunde nunquam delendum illud monitum, quod quidam sanctorum dedit sancto Joanni Climaco, ab eo relatum: *Defige incudem, hoc est mentem in animae ligno, quod crux est, uti per alternos malleorum ictus et fragores ludibriis everberata, injuriis afflicta, neque infringatur, neque ulla ratione laedatur; sed tota plana seu laevis et immota persistat.... Bibe irrisiones semper tanquam aquam vivam* [1]). *Si enim in nequitia vivamus,* inquit S. Chrysostomus, *etsi nemo sit qui maledicat, omnium miserrimi sumus; si autem virtutem colamus, etiamsi totus orbis nobis maledicat, erimus omnium beatissimi, et eos omnes, qui salutem consequi velint, ad nos pertrahemus: non enim maledictis improborum animum adhibebunt, sed vitae cum virtute actae. Etenim tuba clariora sunt opera bona, ipsa luce lucidior vita pura, etiamsi innumeri sint ii, qui obloquantur.... Si quidam maledicant, ne ideo turberis, neque cures, si te palam contumelia afficiant; sed eorum conscientiam explora, et videbis illos plaudentes, mirantes, et mille intus laudibus ornantes. Vide igitur quo pacto Nabuchodonosor puc-*

[1]) Scala parad. grad. IV. 63.

ros in fornace laudet, etiamsi hostis inimicusque esset (Dan. III.): sed quia vidit fortiter stantes, illos praedicat et coronat, non alia de causa, nisi quia ipsi non obtemperantes, legem Dei audierant. Diabolus enim, cum videt se nihil proficere, demum abscedit, timens ne plures nobis coronas conciliet.... Quodsi homines a recto ratiocinio deflectant, a Deo majorem admirationem laudemque referes. Ne doleas itaque, neque animo concidas: nam et Apostoli aliis quidem erant odor mortis, aliis autem odor vitae (2. Cor. II, 16). Nam si tu nullam ansam dederis, ab omni crimine liberaris; immo beatior effectus es. Resplende igitur in vita, et maledicos ne cures [1]). Ad hoc juvabit te illa praemonitio data a sanctissima Virgine Maria S. Brigittae [2]) de daemone suggesturo tibi volenti vivere melius, quam antea vixeris: »Derideberc ab omnibus, si te nimis humiliabis et submittes.«

Denique in adversitatibus et contradictionibus habebis consolatorem, protectorem et remuneratorem Deum, sicut promisit Spiritus sanctus per David: *Abscondes eos in abscondito faciei tuae, a conturbatione hominum; proteges eos in tabernaculo tuo a contradictione linguarum* [3]). In quae verba S. Augustinus: *Putas,* inquit, *est quisquam ita felix in hoc mundo, ut cum coperit audire opprobria hominum, propterea quod Christo serviat, fugiat ad Deum corde, et incipiat spem*

[1]) In Matth. hom. XV. n. 8. [2]) Revel. l. IV. c. 75. [3]) Ps. XXX, 21.

habere in dulcedine ipsius, et a conturbatione hominum, a quibus audit opprobria, intret in vultum Dei cum conscientia sua? Intrat plane, sed si habeat cum quo intret, id est, si non sit onerosa ipsa conscientia, si non illi faciat sarcinam grandem ad angustam januam. Abscondes *ergo* eos in absconditio vultus tui a conturbatione hominum. Proteges eos in tabernaculo tuo, a contradictione linguarum. *Aliquando abscondes eos in absconditio vultus tui, a conturbatione hominum; ut prorsus in eis conturbatio humana esse non possit: sed interim cum peregrinantur in hoc sacculo, quia multas patiuntur linguas contradicentes, qui tibi serviunt, quid eis facis?* Proteges eos in tabernaculo tuo. *Quod est tabernaculum? Ecclesia hujus temporis; tabernaculum ideo dicitur, quia adhuc in terra peregrinatur. Tabernaculum enim habitaculum est militum in expeditione positorum. Ipsa dicuntur tabernacula. Domus non est tabernaculum. Pugna in expeditione peregrinus, ut salvus factus in tabernaculo, gloriosus recipiaris in domum. Erit enim in coelo domus tua aeterna. si modo bene in hoc tabernaculo vixeris. Ergo in hoc tabernaculo proteges eos a contradictione linguarum* [1]). Sed quamvis non protegeret, parum refert. Nam, ut idem monet alibi: *Si amatores saeculi non curant reprehensores veraces, ut sint formosi fallaces; nos in his rebus, in quibus placemus sapientiae Dei, non debemus curare irrisores*

[1]) Enarr. in Ps. XXX. serm. III. n. 8.

injustos, non habentes oculos, unde videant, quod amamus [1]). Hos vehementer damnat in religiosis coram S. Catharina Senensi Deus Pater his verbis: »Isti facti sunt arma diaboli et cum foetore suo venenose corrumpunt intus et extra. Ipsi promiserunt ordinem observare, sed in facto miserabili modo transgrediuntur ordinem; scilicet veluti lupi rapaces insurgunt et persequuntur bonos et humiles, qui ordinem (— hoc est regulas —) conantur observare, faciendo super eos trufas atque derisiones, existimantes, ex his derisionibus, quibus observatores ordinis ita persequuntur, suam propriam cooperuisse miseram vitam; sed ex hoc apertius ipsi patefaciunt illam; et ideo tot inconvenientia in sanctis religionibus occurrunt« [2]).

CAPUT XIII.

Ad executionem bonorum propositorum: quae meditationes conducant in octiduana recollectione, et in quo situs sit fructus exercitiorum et omnium meditationum aliarum?

Proderit plurimum ad stabilienda bona proposita, — circa res difficiliores — quae in hac collectione facies, extra tempora meditationum, sedendo vel ambulando in cubiculo, roborare ea conside-

[1]) Enarr. in Ps. XXXII. serm. I. n. 7. [2]) Dialog. c. 125.

ratione suavi motivorum, quae S. Pater attulit in modo posteriore bene eligendi in secunda hebdomada.

In meditatione fundamenti et finis, item de regno Christi, et de duobus vexillis, et de tribus hominum classibus, oportet bene se fundare et intime menti imprimere ea, quae S. P. N. Ignatius in illis expressit. Sunt enim, ut ita dicam, essentiales meditationes, a quarum profunda penetratione pendet fructus collectionis, uti et a meditationibus de illis Christi patientis mysteriis, quae tractant de Christo illatis injuriis per falsas accusationes, per ludibria, per ejus contemptum, per ejus condemnationem et omnimodam malam tractationem, praesertim a superioribus et magistratibus et principibus populi. Per haec enim exempla bene penetrata dulcescunt eae cruces, contemptus, accusationes, condemnationes, et his similia, ob quae imperfectis amara videtur praesens vita.

Fructus exercitiorum omnium, uti et quotidianarum meditationum, praecipuus in his rebus consistit, partim faciendis, partim vitandis, juxta illud Psalmi: D e c l i n a a m a l o, e t f a c b o n u m:

1. Nunquam deinceps deliberate peccare.

2. Raro peccare etiam indeliberate.

3. Nunquam peccare in rebus ad divinum cultum immediatum spectantibus.

4. Nunquam incidere in peccata parva periculosa, per quae facilis est progressio ad graviores lapsus. Talia sunt: negligentia in cogitationibus impuris repellendis, aspectus feminarum, imaginum turpium.

5. Nullam regulam, si religiosus es, transgredi.

6. De rebus spiritualibus vel saltem religioso ore dignis semper colloqui.

7. Fugere conversationem cum iis, qui sunt causa vivendi laxius. Haec tamen fuga debet esse prudens et non furiosa, nec manifestum contemptum alterius praeseferens; sed dextre declinandi sunt tales, adhibito etiam Superioris auxilio, si aliter non poteris te a talibus te prensantibus extricare.

8. Opera ordinaria quotidiana facere diligenter.

9. A clamoribus et cachinnis et jocis irreligiosis perpetuo cavere.

10. Conversari cum magis spiritualibus.

11. De nulla re conqueri.

12. Nullius mores censurare, sed bene interpretari omnia.

13. Omnia, quae Superior injungit, sine ulla excusatione exequi.

14. Nullum officium vel gradum eligere aut optare, sed prout sancta obedientia disponet.

15. Non quaerere speciosa et promotiones ad altiora.

16. Post communionem diu, saltem per mediam horam, cum Christo Domino colloqui, et postea spirituali lectioni saltem per horam vacare.

17. Extra lectionem vel studium intercedentia intervalla temporis expendere in cogitatione de Deo et piis affectibus.

18. Opera singula Deo offerre, et procurare, ut omnia quae facis, sint meritoria, idque non ob tuum commodum spirituale, sed ob Dei gustum et gloriam.

19. Amare et optare et pati omnes adversitates patienter, libenter, hilariter.

20. Dare operam, ut opera tua correspondeant cognitioni, quam tibi Deus dabit de modo illa peragendi.

21. Saepe renovare memoriam rerum aeternarum, ut ad illas omnia tua dirigas, non ad humanos applausus vel gratiam hominum.

22. Ita saltem curare progressum in virtutibus, sicut curas alia tuo corpori necessaria.

23. Semper niti ad perfectiora et Deo magis grata et amori proprio magis insipida.

24. Ob humanos respectus nil mali facere, nil boni omittere.

25. Saepe se reflectere in operibus, ut singula sic facias, quomodo eadem faceret aliquis sanctus, cui afficeris.

Altera pars fructuum ex meditationibus decerpendorum sita est in hoc, ut sequentes defectus religiosorum spiritu religioso destitutorum vitentur.

1. Quaerere occupationes honorificas.

2. Quaerere mansionem in locis commodis, urbibus et cubiculis talibus.

3. Velle sua munia obire in locis honorificis et frequentibus.

4. Detrectare occupationes minus honorificas et oca incelebria et minus commoda.

5. Gradus altos expetere et affligi, si eos non assequaris.

6. Prensare eorum domesticorum gratiam, a quibus promoveri possis ad honorifica et defendi.

7. Conversari cum talibus eundem ob finem occulte intentum vel saltem apprehensum.

8. Fugere conversationem cum personis minus speciosis et vilibus, at devotis ac spiritualiter viventibus.

9. Conversari libenter cum personis minus spiritualibus, sed juxta mundanum judicium celebribus et honoratis et potentibus, idque ob humanum aliquem finem.

10. Visitare frequenter eos, a quibus promoveri possis, et quidem hoc fine, ut promovearis.

11. In non necessariis confabulationibus tempus extrahere, praesertim cum iis, quorum favor prodesse potest ad aliqua judicio mundi speciosa.

12. Quaerere patronos ad impetrandum optata, non necessaria.

13. Conqueri de Superiorum ordinationibus circa se et circa suos amicos, non ad suum gustum factis.

14. Commodiora omnia in victu, vestitu, habitatione quaerere, et labores subterfugere.

15. Frequenter e domo exire sine necessitate, tantum ad vitandum taedium et laborem occupationum bonarum.

16. In recreationibus nil spirituale proferre; sed jocis et clamoribus et cachinnis, etiam per ethnicos philosophos damnatis, eas inquinare.

17. Recreationes quaerere nimias, idque non ob veram necessitatem, sed ob sensualitatem et inclinationem ad otium et ad fugam laborum.

18. Somno plus, quam sit opus, indulgere.

19. Tempus male expendere.

20. Carpere vel irridere alios.

21. Aliena dicta vel facta vel intentiones censurare et sinistre interpretari, mente et voce illis detrahere.

22. Contendere cum aliis.

23. Exprobrare alteri aliquid contra se dictum alibi vel factum.

CAPUT XIV.

Qua in re transigendum tempus illud, quod intercedit inter horas meditationis tempore octiduanae recollectionis.

Quaeres: Quomodo tempus transigendum est — tempore exercitiorum — quod intercedit inter horas quatuor meditationum diurnarum?

Respondeo: Ultimo quadrante horae ante inchoandam meditationem praeparanda sunt puncta meditanda. Absoluta meditatione, juxta quintam additionem, dispiciendum: quomodo successerit meditatio etc., quod breviore tempore, quam quarta horae parte fieri potest et solet ab iis, qui non sunt tirones. Hac re peracta, annotandae sunt scripto, juxta S. Xaverii consilium [1]), practicae quaedam veritates in meditatione perceptae, per quas te sensisti impelli ad fugam alicujus defectus, vel ad me-

[1]) Vit. l. VI. c. 13. fin.

lius operandum. Ut autem notes nuda proposita, v. g. hoc modo: Servabo silentium; non otiabor; labor inutilis est: quis enim dubitat, etiam imperfectissimos quosque habere voluntatem haec vitandi? Et talium rerum postea lectio non excitat hominem ad fugam vitiorum et exercitium virtutum, uti facit lectio luminum seu veritatum divinitus in meditatione immissarum, per quae te sensisti accendi. Tales veritates et lumina leguntur annotata a B. P. Fabro in ejus libro ms. et in vita ejus, et a P. Balthasare Alvarez in ejus vita edita a P. Ludovico de Ponte [1]). Porro pro nostrae Societatis personis addo, ut hac scriptione finita, ante omnia accuratissime legatur liber exercitiorum S. P. N. Ignatii lente, cum quadam singulorum verborum ponderatione et reflexione. In singulis enim verbis est, ut ita dicam, mysterium; singula exercitiorum verba sunt tanquam piper, ad speciem communia et obvia, sed si frangas et veluti mastices pia ponderatione, suppeditant magnam acrimoniam, et igneum quendam ingerunt vigorem ad res in divino obsequio praeclare gerendas et generose, et sunt omnia plena magnis thesauris spiritualium doctrinarum. Lectio autem libri exercitiorum sic inchoanda est et continuanda:

Pridie exercitiorum legantur accurate viginti annotationes ipso initio positae; item additiones decem, quae sunt immediate positae ante secun-

[1]) Pag. 18. 23. 28. 31. 34. 62. 71. fin. 72. fin. 83. 168. 280. 288. 295. 446. 460. 461.

dam hebdomadam; item primum exercitium de peccatis, in quo S. Pater tradit modum occupandi tres potentias in meditando. Haec tria pridie exercitiorum accurate legantur, et vesperi puncta fundamenti seu principii de fine, ob quem creati sumus; in cujus finis consideratione sex horas meditationum soleo suadere: quia a penetratione finis nostri, et finis proprii Societatis — pro quo duae ultimae horae i. e. primae secundae diei collectionis sufficient — maxime pendet fructus exercitiorum, uti et a meditationibus de regno Christi, de duobus vexillis, et de tribus hominum classibus.

Primo die exercitiorum et diebus sequentibus mane lege regulas ad motus animae discernendos, et postea alias ad pleniorem spirituum discretionem. Sed ita eas lege, ut quodammodo memoria retineas singularum summam. Nam innumerae occasiones accidunt, in quibus scrupulis perturbantur nostri multi, praesertim juvenes: quia non habent menti et memoriae impressas doctrinas in regulis illis traditas.

Post bene ponderatas has regulas, lege alias de scrupulis, tum illas de victu recte temperando, tum totum discursum S. Patris de electione et reformatione statuum in secunda hebdomada. His perlectis, relege ea, quae tradit de examinibus, confessione etc. in prima hebdomada; et sic deinceps. Ex hac lectione duplex erit utilitas: 1° tua propria: quia inde disces, quomodo daemonis tentationibus resistere debeas et alios juvare; 2° acquires notitiam exercitiorum necessariam ad ea suo tempore aliis

tradenda: siquidem hac in re nos voluit S. Pater noster esse peritissimos IV. p. Constitut. c. VIII. §. 5. His perlectis, lege cum aliqua reflexione regulas tuas proprias, scilicet Scholasticorum, si studes, vel Professoris, si doces etc. et propone vitare vitanda, et facere facienda, non omittere omissa antea.

Quod si senties taedium aliquod in continuatione hujus lectionis, intersere lectionem Thomae de Kempis de imitatione Christi, et in ea illa capita selige, quae serviant ad excitandum contemptum tui et mundi et judiciorum humanorum et amorem crucis.

Legi etiam potest aliqua nostrorum Sanctorum vita, sed non historia res ejus gestas continens, sed illa tantum pars, quae de solis virtutibus tractat, uti est liber sextus vitae S. Francisci Xaverii, et quintus S. Ignatii apud Ribadeneiram, tertius apud Maffeium. Alios libros post exercitia legere poteris; sed tempore exercitiorum hos tantum, qui te instruant pro cursu vitae spiritualis juxta doctrinas S. Patris peragendo, et qui voluntatem tuam accendant ad sancte vivendum in Societate. Proderit etiam, — ne caput fatiges diuturniore lectione — sedendo, vel deambulando potius, tecum veluti colloqui familiariter hoc vel simili modo, cum summa simplicitate et candore: Eja anima mea! Ego nunc facio exercitia, quae S. P. noster instituit, ut per ea ad sanctitatem excitemur, et post ea, ut sancte vivamus et non erubescamus evangelicam perfectionem. Quid ergo debes facere?

quid debes emendare? quid perficere? o Domine Jesu! adjuva me; vellem esse bonus et totus tuus; o beatissima Virgo! ora pro me; o sancte Angele custos! succurre mihi. Qualis debet deinceps esse mea ad meditationem praeparatio? qualis meditatio? qualis recreatio? cum quibus conversatio? Haec non simul omnia extra meditationis tempus examina et scrutare, sed uno die unam occupationem tuam, altero die alteram. Ita sine taedio cum fructu totum tempus transiges.

Exercitiorum fine instante, annota praecipuos fructus in scripto, confer de eis cum Superiore, et emenda, si quae in te emendanda sunt etc. Nam cum Patre spirituali dante exercitia tempore exercitiorum ages, dum te visitabit more solito.

CAPUT XV.

De veritatibus quibusdam suaviter cogitandis extra tempus meditationum in octiduana recollectione et aliis temporibus.

Praeterea quando lectione et meditatione vel scriptione senseris fatigatum caput, sedendo vel ambulando, suaviter repraesenta menti tuae infrascriptas veritates, non discurrendo circa illas, — nisi Dominus suavi suo impulso ad hoc te excitaverit — sed per modum simplicis apprehensionis

et reminiscentiae illas veluti aspiciendo, ac si illas legeres in aliquo palatio scriptas sub aliquo emblemate:

I°. Pluris faciendus est Deus, quam homo. Cur ergo ob respectum hujus illum offendis? Cur non magis Dei gratiam et promotionem prensas et amicitiam, quam talis et talis, qui tibi suppeditat pró purgatorii poenis quotidianam materiam?

II°. Prodituras in conspectum hominum non maculas faciem data opera, sed si casu aliquo sit maculata, statim abluis; cur ergo animam deliberate peccando maculas, et sic oculis Dei et Sanctorum te aspiciendum offers, et diu ita foedatus in oculis Dei permanes?

III°. Quodvis peccatum veniale est foedius, quam sordes quaevis et spurcitiae humanae, nulla excepta. Cur ergo tam saepe animam reddis in oculis Dei sordidam et foetentem? Valde enim foetentem reddit animam quodvis veniale peccatum, ut ait S. Macarius Aegyptius [1]), et Deus ipse hoc ipsum ostendit P. Ludovico de Ponte visione quadam admirabili, quae legitur in ejus vita, adeo ut visus sit Deus manu tegere nares suas, ne perciperet foetorem ex peccatis venialibus prodeuntem.

Quocirca S. Philippus Nerius propriis naribus percipiebat tetrum foetorem etiam ex peccatis venialibus quibusdam suorum filiorum spiritualium. Nec mirum: peccata enim venialia vocantur horrenda scabies et pustulae et sanies et

[1]) Hom. I. n. 5.

sordes a Sanctis [1]), quae sane sunt res foetidae, nec possunt bene olere, nisi forte porcis.

Sane S. Chrysostomus linguam detractoriam *coenum* ait *effundere et cloacae canalem os facere; imo vero eo longe impurius, et magis abominandum* [2]). Et alio in loco detractionem *stercus* appellat [3]), et S. Asterius *peccati coenum* [4]). Hinc Archangelus, qui S. Franciscae Romanae a Deo fuit datus, ut ei perpetuo omni tempore assisteret, diu noctuque, si quis adstantium aliquod delictum committeret, faciem manibus verecunde obvelabat, ut scribitur in vita S. Franciscae secunda [5]). Quando vero contingeret illam propter domesticarum curarum multitudinem atque labores, ut visitationum importunarum molestias, taedio affici atque in aliquem defectum labi, subducebat sese continuo Angelus, ipsaque admonita humiliter agnoscebat culpam, eamque sibi postulans indulgeri, ablatam mox laetitiam sentiebat restitui sibi, redeunte illo cum nova vultus amoenitate.... Istum autem redarguendae Sanctae modum tenuit Angelus donec illa perfecte sese divinae conjungens voluntati, plane haberet constitutum, quietam se velle contentamque vivere;

---

[1]) *Aug.* serm. de divers. CCCLI. c. III. n. 5; *Caesar. Arel.* serm. CIV. n. 3. inter suppos. Aug.; *Chrys.* ad pop. antioch. hom. VI. n. 6; *Basil.* Com. in Is. c. IV. n. 13; *Greg. M.* in Evang. hom. XXX. n. 2; Expos. in Cantic. c. V. n. 6. [2]) In I. Cor. hom. XLIV. fin. [3]) Ad pop. antioch. hom. III. n. 6. [4]) Hom. II. med. [5]) Act. Sanct. Boll. tom. VIII. 9. Mart. Vit. II. c. III. n. 24.

etiam ad diem judicii usque, inter curas familiares, saecularia negotia et convictus maritalis fastidia, si Deo sic fuisset collibitum. Volebat enim Deus, ut a se removeret illam displicentiam conversationis humanae, nimiamque quaerendae solitudinis anxietatem exueret [1]). P. Ludovico de Ponte cum in visione Deus ostendisset foeditatem peccatorum venialium, etiam videndum ei se praebuit obturantem nares suas, ne foetorem ex eis prodeuntem odoratu perciperet, ut scribitur in ejus vita ms.

IV°. Si Superior adesset in aliquo loco, etsi eum non videres, sed adesse tantum certo crederes, non auderes quidquam facere, quod ei displiceret; cur ergo id audes, certo fide divina credens, Deum tibi adesse, te intueri et nolle, ut illa facias, quae ipse vetuit?

V°. Si certo crederes, te post unum peccatum deliberate commissum, vel post multa indeliberata quotidie a te sine scrupulo magno committi solita, ob illa in publico foro, spectante tota civitate, a carnifice virgis caedendum, omnino abstineres ab illis. Cur ergo non abstines certo credens, ea in purgatorio puniri gravioribus suppliciis, quam sint virgae, et credens, spectantis Dei et Sanctorum oculos magis esse vitandos, quam civium?

VI°. Si certo putares, te conversando vel semel cum aliquo, qui tibi est occasio vel offendendi Deum, vel non vivendi sancte et perfecte, te, inquam, ex tali vel momentanea conversatione con-

[1]) Ibid. n. 26.

tracturum morbum aulicum, vel pestilentiam, tanquam a facie colubri fugeres ejus conversationem. Cum autem peccata ex illa conversatione a te committi solita et impedimenta tuae perfectionis majora sint mala, quam morbus aulicus, immo omnes prorsus alii morbi et mors ipsa, imo, ut Sancti [1]) docent, quam poenae inferni: cur ab illa conversatione te non subtrahis, etiamsi deberes talem socium offendere?

VII°. Nonne anima et Dei et tuo et omnium aliorum judicio magis curanda est, quam corpus? Cur ergo non ita sollicite quaeris ea, quae prosunt animae, — uti sunt merita, gratia apud Deum, profectus magnus in virtutibus — uti quaeris et optas corpori tuo vestem quam optimam, cubiculum maxime commodum, cibum sapidum et potum meliorem? *Nonne anima plus est quam esca?* [2]) dixit judex tuus futurus. Cur ergo animam laedis ob escam, et judicem tuum offendis? *Inordinata profecto,* inquit S. Bernardus, *atque irrationabilis misericordia est, sterilis et infructuosae carnis (quae juxta Domini verbum non prodest quicquam [Joan. VI, 64.], et secundum Apostolum regnum Dei non possidebit [1. Cor. XV, 20.]) adimplendis invigilare desideriis, et de animae cura Sapientis saluberrimum non curare consilium, admonentis atque dicentis: »Miserere animae tuae, placens*

[1]) *Chrysost.* ad pop. antioch. hom. V; *Anselm.* similit. l. c. 191.; *Catharin. Gen.* vit. c. 20. 24.; *Roder.* l. I. c. 3. l. II. c. 25. vitae. n. 5. [2]) Matth. VI, 25.

Deo.« (Eccli. XXX, 24). Bona misericordia misereri animae tuae; nec potest non mereri misericordiam, qua fit ut placeas Deo [1]).

VIII°. Deus tibi magis est necessarius et utilior, quam ullus hominum, et te in omnibus rebus temporalibus, quas appetis, magis per se solum juvare potest, quam ullus hominum. Cur ergo non ita quaeris Dei gratiam et favorem, uti quaeris variis industriis favorem et promotionem hominum, saepe etiam cum offensa Dei et remorsu conscientiae?

IX°. Minimus gradus gloriae in coelo res est melior et praestantior, quam ullum beneficium, quod posses sperare ab ullo. Cur ergo omittis quaedam exercitia et opera virtutum, quae posses et privatim et publice facere, et plurimam gloriam merereris apud Deum faciendo; sed ea omittis, vel ne videaris, vel ne talem vel talem offendas, aut ei displiceas, cui hac ratione displicendo et te vincendo summopere Deo placeres, eumque exhilarares?

X°. Deus et Sancti in divino lumine vident omnia, quae dicis et facis et omittis atque cogitas, et plures sunt, quam illi, qui te et tua exteriora vident. Si ergo quaedam omittis facere vel dicere ob id tantum: Quid dicerent de me isti, si hoc facerem vel dicerem? An non pejus est, quod Deus et Sancti dicant de te res majoris momenti et pluris a te faciendas, dum te vident ob respectum humanum erubescere evangelium, ut ait Apostolus, et

[1]) Apol. ad Guilielm. c. VIII. n. 17.

erubescere virtutum actiones a Deo et Sanctis in te expetitas, et te pudere vitae sanctae, quae te faceret valde gloriosum in coelo?

XI°. Profectus in sanctitate, qui per virtutes fit, res est praestantior, jucundior et utilior, Dei et omnium, etiam ethnicorum, judicio, quam profectus in studiis vel opificiis. Cur ergo non es aeque saltem sollicitus de profectu in virtutibus quotidianis, sicut es sollicitus de profectu quotidiano in studiis, vel alia tua occupatione? Cur non tam diligenter adhibes media ad profectum in virtutibus, sicut adhibes ad alia, cum tamen deberes magis illum curare, quam alia?

XII°. Si nunc resurgerent a mortuis similes tui religiosi, vel alii: certo credis, non vitaturos ea et eos, quae et quos tu non vitas? Cur ergo nunc non facis ea, quae resuscitati facerent? et quae tu ipse faceres, si fores unus ex resuscitatis?

XIII°. In hora mortis ultima omnes etiam improbi — nisi sint a Deo indurati et reprobati — de rebus humanis et divinis ferunt recta judicia, et sua suorumque amicorum non benefacta et dicta tunc sine ullo respectu condemnant et proponunt, se ea vitaturos, si convalescerent. Reflecte ergo te ad tua facta et dicta illa, quae nunc vel a propria conscientia tua, vel a Superioribus, vel ab aliis magis spiritualibus improbantur: suntne eorum e numero, quae in hora mortis damnares? et dissuaderes aliis? et quae te fecisse tunc doleres? Tempestive ergo ea a te reseca, ne moriens non tam voluntate, quam necessitate ab iis te abstrahas.

XIV°. Damnatur merito canis aesopici electio, dum, visa in aqua carnis umbra, eam cupiens arripere, carnis, quod in ore tenebat, frustum amisit. Tu damnandus es magis, qui ob spem alicujus solatioli, vel ob metum alicujus humiliationis, vel ob gustum alicujus commodi, quo frueris, omittis vel decurtas orationem aut alicujus virtutis exercitium, quod Dei et tuo et aliorum judicio scis esse praestantius et plus, quam carnem respectu umbrae carnis. Erubesce imitator canis Aesopi et illo stultior: quia moribus bonis in se tibi utilioribus et magis necessariis et saepius, quam ille canis fecerit, te privas.

XV°. Minimus gratiae et meriti gradus, qui acquiritur per quodvis opus bonum, sine ulla obligatione legis spontanee factum, omnium christianorum, etiam improborum, judicio, est majus quid omnibus lucris ditissimorum mercatorum et omnibus thesauris totius mundi simul sumptis. Sicut ergo mercator et quivis alius saecularis, si sciret se assecuturum saltem unum millionem auri quovis opere pio supererogationis, perpetuo se impenderet talibus operibus, sine ullo aliorum, qui id improbarent vel irriderent, respectu: cur tu idem non facis, ut congreges lucra spiritualia et thesauros meritorum, cum credas eos esse majores omnibus hujus vitae thesauris?

XVI°. Fidelis et honestus et aequitatis amans miles non aegre fert, si in bello non tractetur a commilitonibus melius et commodius, quam supremus exercituum dux et imperator; et si sit occasio

et videat, suum ducem id expectare, pro ejus amore pluribus se subjicit incommodis, quam patiatur dux ipse. Cum ergo miles Christi Jesu sis, ut ait Apostolus, cur aegre fers, dum male tractaris et pateris aliqua in hac vita, quae est militia quaedam?

XVII°. Aequum est, ut ait Apostolus, nunc saltem *ita te exhibere membra tua servire justitiae, in sanctificationem, sicut* [olim forte] *exhibuisti ea servire immunditiae et iniquitati, ad iniquitatem* [1]). Vel si bene vixisti, aequum est, ut tu tam diligenter servias Deo, sicut dominis suis serviunt eorum famuli, immo sicut serviunt diabolo, et sicut tu fortassis olim ei servivisti. Servisne Deo hoc modo? et cur non?

XVIII°. Species quaedam negationis Christi est Evangelii perfectionem sponte promissam non sectari eique contraria facere. *Qui Evangelii praecepta audit et non facit,* inquit S. Ambrosius, *negat Christum; etsi verbo fateatur, operibus negat* [2]). Simile quid de religiosis asserit S. Augustinus, vel S. Caesarius: — utrique enim adscribitur hic sermo — *Ego hodie, qui videor esse monachus, si rupero propositum meum, Christum negavi. Et si in pace Christum nego, in persecutione quid facerem? Si dum non torqueor nec exuror denego; si torquerer et exurerer, quid facerem?.... O monache, qui jejunium* [vel silentium, vel colloquia pia, vel conversationem cum melioribus] *fugis, putas te ignem fugere?* [3]).

---

[1]) Rom. VI, 19. [2]) Expos. in Ps. CXVIII. serm. XX. n. 47. [3]) Inter Caesar. hom. XX.

XIX°. Qui vel ob humanos respectus, vel ob aliquod solatiolum aut commodum suum, omittit aliquod opus bonum supererogationis, facit jacturam quandam ipsius Dei, non quidem talem, qualem adfert peccatum mortale, excludens ex anima Deum, sed majorem impediens ipsius Deitatis acquisitionem. Siquidem dum augetur gratia in justo, ipsa Dei substantia magis unitur animae quam antea, tanquam sponsae sibi tunc cariori, uti et SS. Patres [1]) et meliores docent theologi [2]). Ideo sancti Patres graeci [3]) per incrementum gratiae dicunt justos magis deificari: quia ipsa substantia sanctissimae Trinitatis — si per impossibile nec in coelo esset, nec extra justum — poneretur intime, realiter et substantialiter in anima justi, dum ei gratia sanctificans infunditur ob bonum usum sacramenti alicujus vel aliud opus supernaturale. Quanta ergo est caecitas et imprudentia omittere acquisitionem Dei majorem ob rem frivolam, aut ob boni operis omissionem? Nonne Dei substantia infinities tibi est utilior et magis necessaria, quam omnia bona et solatia creata? Erubesce contemptor Dei, Deo anteponens solatiolum tuum, quod tibi et in hac et in altera vita valde nocebit.

---

[1]) *Dionys. Areop.* de div. nom. c. I. et IV; *Aug.* de Trin. l. VIII. c. 10. et l. V. c. 26; in Joan. tr. XXXII. et LXXIV; *Ambros.* de Spir. S. l. I. c. 4, 5; *Leo* serm. II. in Pentec. [2]) *Thom.* 1. q. XLIII. a. 3; *Alens.* 1. q. LXXIII. membr. 4. a. 1; *alii* in sent. l. 1. dist. XIV et XV; *Suarez* de Trin. l. XII. c. 5. n. 8. 11; *Valenz. Vasq. Cornel.* in 2. Petr. II. [3]) *Gregor. Naz.* or. IV. n. 71.

CAPUT XVI.

Describitur homo pie renovatus, et imitandus proponitur in octiduana recollectione et ante ac post illam.

Quoniam vero finis meditationum est renovatio nostri, praecipue interna, sed ex qua sequitur etiam renovatio exterioris hominis, praestat videre, quomodo describat S. Laurentius Just. renovatam sponsam Verbi: *Fundamentum,* inquit, *totius exterioris hominis mentis est qualitas. Non aliter foris conversatur homo, quam intus maneat. Nam si circumspecta sit mens apud se, cuncta exteriora ordinate disponit, si vero lubrica et absque rationis judicio sola praeceps ducatur voluntate, latere non valet. Negotia namque exteriora et sermo incompositus improvidae animae testimonia sunt. Proinde sponsa Verbo placere concupiscens, omnem suae mentis statum sapientiae regulis componit et ordinat. Hinc est quod ipsius verba prudentiam sapiunt et ratione fundata sunt. Nil ex ejus ore murmurationis, nil fraudis, nil elationis egreditur. Pauca, proficua, saleque condita sunt illius eloquia, ita ut pene irreprehensibilia sint, opera quoque ejus lance aequitatis et consideratione virtutis sunt facta. Singularitatis notam fugit, praecipitationem devitat, mores incompositos non sequitur, et sic conversari satagit, ut nemini noceat, nulli onerosa, nullique odiosa sit, unde fit, ut universis amabilis*

reddatur, omnibus cara, et cunctis benevola, atque ipsius vita singulis proponatur ad imitationis exemplum. Ista namque spiritualia operatur exercitia, non ut propriam adipiscatur gloriam, aut humanos captet favores, sed pro honore Dei, pro amore sponsi et pro aedificatione proximi. Proinde tam ardenter prudenterque Dei in se sedula est custodire imaginem. Agnoscit quidem rationalem se esse, et per hoc Verbi gerere similitudinem, sedem esse sapientiae, et veritatis illustrari lumine.... Quo anima in amore sponsi ferventior est, eo se minus diligit propter se. Tota se diligit in sponso, mundam se servat sponso, dilecti honorem zelat: et quicquid Verbi potest deformare imaginem, vehementer abhorret.... Proinde quae legitima est sponsa, et quae non didicit, sed gustavit in vero sensu, et in suorum praecordiis desideriorum, quam suavis est Dominus, quam dulcis amor, quam castus amplexus, quam melliflnum est Verbi connubium, incessanter elaborat, qualiter Trinitatis imaginem in se valeat reformare, incontaminatam tenere, et absque macula custodire. Hinc est, quod tam sedulo tamque ardenter spiritualibus intendit exercitiis..... aeterna meditatur, ut transeuntia fugiat, cordis studet munditiae, innocentiae candorem sectatur, conscientiae paci invigilat, puritatem servat, fervorem nutrit, elevationi mentis innititur, omnique peccato reluctari contendit, ut puram in se Dei custodiat imaginem, et incontaminatam se tribuat illi, cujus est. Talibus enim exercitiis mentis reformatur claritas, Verbi fulget imago, et interioris

hominis apparet gloria. Ibi libenter declinat Verbum, ubi suam intuetur similitudinem [1]).

Da igitur operam, ut imago animae tuae, et omnes actiones sensuum ac membrorum corporis tui sint quam simillimae Verbo Incarnato, ut libenter in te habitet, tanquam in pulcherrimo opere manuum suarum et suavissimo fructu meritorum suorum. Quod ut assequaris, coneris habere in te illas virtutes inter alias, quae magni fiebant a Domino in S. Gertrude virgine Ordinis S. Benedicti. De qua cum quaedam admirans dixisset: »Quid, o Deus Amor! — in hac scilicet Gertrude — perpendis, quod tanti facias illam in te ipso, erga quam etiam adeo suaviter apposuisti cor tuum?« Respondit Dominus: »Pietas mea gratuita ad hoc me cogit, quae in anima ejus singulari dono continet perficitque, in quibus praecipue delector, quinque virtutes. Habet enim in se puritatem ex continua gratiae meae influxione; habet humilitatem ob multiplicem donorum meorum magnitudinem: quanto enim ego operor in illa majora, tanto se ad ima humilitatis per infirmitatis suae cognitionem deprimit. Habet praeterea veram benignitatem, qua omnium salutem, idque ad meam laudem desiderat. Habet denique veram fidelitatem, utpote omnia bona sua ad laudem meam integro corde in salutem universitatis hominum generalem communicans [— scilicet manifestans Dei dona extraordinaria et valde magna: quod tamen ne imiteris suadeo, dum es in hoc statu

---

[1]) De casto connub. c. XXI. post. med.

tepiditatis; illa enim sancta et ferventissima non proprio vel vanae gloriae instinctu, sed expresso Dei monitu id faciebat, ut patet ex ejus vita, idque Christus Dominus probavit [1]) —]. Postremo veram possidet charitatem, quia toto me amat corde, tota anima, totisque viribus, et proximum sicut seipsam propter me« [2]). Et infra: »Haec, — scilicet Gertrudis, — pro qua tu oras, columba est mea absque felle: quippe quae omnis delicti amaritudinem non aliter atque fellis a corde suo projicit. Ipsa mihi lilium est electum, quod manibus meis portare affecto: suprema namque est mihi voluptas deliciosaque in anima hujusmodi casta ac pura morari. Ipsa rosa denique est mea suaviter olens: patientia namque et in cunctis adversis ejus gratiarum actio suavissimum mihi inferunt odorem. Ipsa praeterea mihi flos est vernans ac semper virens, in quem respiciendo oculis meis perquam jucundam haurio amoenitatem: retinet enim ac fovet ingens in me desiderium ac studium non solum virtutum, sed etiam universae perfectionis. Postremo ipsa est cunctis coelitibus dulcis suavisonaque harmonia, quam efficiunt omnes illae, quas adeo aequanimiter fert, adversitates, veluti tintinnabula aurea in corona mea suspensa« [3]). Et S. Isidorus Pelusiota, S. Chrysostomi discipulus, ad Alphium Episcopum sic scribit: *Ingenuae animae notae sunt, a dolo abhorrere, sua-*

---

[1]) Insin. div. piet. l. II. c. 10; l. III. c. 64; l. IV. c. 56; l. V. c. 35, 36; praesertim l. I. c. 5 et 16. [2]) Ibid. l. I. c. 4. pag. 23. [3]) Loc. cit. pag. 25 fin.

vem, humanum, fortem, justum, pudicum ac temperantem esse, indulgenter se ad inferiores demittere, lenitati et beneficentiae studere, judicio, non gratia et favore superare ac decernere, aliaque his affinia. Servilis contra, contrariis affectibus subjectum esse, probamque omnem cogitationem ex seipso expellere atque ablegare [1]). Et alio in loco, scribens Martyrio Presbytero, sic ait: *Pietatis duplex est modus. Unus sanctissimus maximeque divinus* [graece cum majori emphasi loquitur θειότατος] *in anima: pulcherrima enim haec victima est, Deoque in primis grata* [ἱερεῖον Θεῷ προσφιλέστατον] *mentem piam habere, divinaeque praesentiae sibi speciem fingere* [φαντάζεσθαι], *atque in animae delubro fixam et stabilem tenere. Alter in corporis castitate. Nam qui his duobus modis destitutus est, nec si pretiosissimos terrae ac maris thesauros offerat, aut omnia ea animantia, quae legis praescripto immolabantur, adhibeat, gratiam apud Deum initurus est* [2]).

CAPUT XVII.

Descriptio boni religiosi proposita ad imitandum illis a religiosis, immo suo modo sacerdotibus aliis, qui secesserunt ad octiduanam recollectionem.

Cum Christus Dominus pro omnibus, etiam saecularibus, dixerit: *Estote perfecti sicut et Pater*

---

[1]) L. III. epist. 151. [2]) L. III. epist. 163.

vester coelestis perfectus est, proderit ponderare suaviter inter horas meditationum ea, quae Sancti scripserunt, describentes perfectos monachos seu religiosos, ut ad eorum perfectionem perveniant religiosi et alii viri spirituales. Imprimis in vitis Patrum sic in monacho bono quivis bonus religiosus describitur: *Dixit senex: Vita monachi haec est, opera obedientia, meditatio, et ut non judicet, aut non obloquatur, aut non murmuret. Scriptum est enim: Qui diligitis Dominum, odite malum (Ps. XCVI, 10). Monachi vita haec est, non ingredi cum injusto, neque videre oculis suis mala, neque curiose agere, neque scrutari, neque audire aliena; neque manibus rapere, sed magis tribuere; neque superbire corde; neque cogitatione malignari, neque ventrem implere; sed cum discretione omnia agere. Ecce in his est monachus* [1]).

S. Joannes Damascenus in vita SS. Barlaam et Josaphat: *Hoc vere monastici ordinis munus est, nunquam spirituali opere vacuum inveniri* [2]).

In vitis Patrum, *dixit Abbas Hyperichius: Vita monachi juxta imitationem angelorum fiat, comburens atque consumens peccata* [3]).

Ibidem *Abbas Moyses commonebat fratres, dicens: Quatuor sunt monacho principalia observanda; id est, tacendi, servandi mandata Dei, humiliandi semetipsum, et angustia paupertatis* [4]).

S. Joannes Climacus: *Monachus,* inquit, *ita vir-*

---

[1]) Vit. Patrum l. V. libell. I. n. 22. [2]) c. XXXVIII. [3]) L. V. libell. XI. n. 36. [4]) L. III. n. 196.

tutibus est affectus et temperatus, ut alius voluptatibus corruptus et perditus [1]).

Idem alibi: *Studiose attendamus, ne dum verbo nos per angustam et arduam virtutis viam incedere profitemur, reipsa latam et spatiosam per imprudentiam incedamus. Angustae viae vestigia tibi prodet ventris afflictio.... panis, seu mensae frugalitas, ignominiae poculum animum repurgans; sarcasmorum, irrisionum, ludibriorum tolerantia, voluntatum propriarum abdicatio, offensionum patientia, nulla adversus nostri contemptum obmurmuratio, exantlatus contumeliarum impetus; si laedentem te fortiter toleres; si obtrectantem aequo animo sustineas; si contemptus non irascaris; si damnatus te humilies. Beati qui semitam hanc, ex supra memoratis viis, ingrediuntur; ipsorum est enim regnum coelorum* [2]).

Idem alio in loco: *Monachus est, qui in terrestri et inquinato corpore tanquam extra corpus, coelestium statum et vitam aemulatur.... Monachus est violentus et assiduus naturae domitor, et inconnivens pervigilque sensuum custos. Monachus est, qui corpus sanctum, linguam puram, mentemque divinitus illustratam habet* [3]).

Idem alibi: *Secedendum nobis est in ea loca, quae minus celebritatis, consolationis et gloriae habent* [4]).

---

[1]) Scala parad. grad. XXIII. 293. [2]) Op. cit. grad. II. 23. sq. [3]) Ibid. grad. I. 3. sq. [4]) Ibid. grad. III. 33.

Idem: *Quis putas est fidelis et prudens monachus? Qui primum ab ingressu religionis ardorem spiritus inexstinctum retinuit; qui usque ad vitae metam exitumque ignem igni, calorem calori, studium studio, desiderium desiderio semper addendo conatus est augere* [1]).

S. Chrysostomus saeculares suos tales vult esse, quanto magis religiosis id congruit? *Quotidie de bonis operibus vos admonere cupimus, ut perfecti, consummati, virtutibusque praedita vita spectabiles facti, sitis irreprehensibiles et sinceri, immaculati filii Dei: et luceatis sicut luminaria in mundo, sermonem vitae* [non nugarum, scurrilitatum, facetiarum] *habentes in nostri gloriationem in die Christi, ut vel solo aspectu iis prodesse possitis, qui vobiscum versantur, ut vestrae spiritualis fragrantiae, vestraeque optimae vitae rationis ex vestris colloquiis fiant participes* [2]).

S. Gregorius Nazianzenus suae aetatis monachos tales fuisse scribit: *Horum opes in paupertate, possessio in peregrinatione, gloria in contemptu, potentia in infirmitate, fecunditas in coelibatu.... qui deliciis minime studere pro deliciis habent; qui regni coelestis causa humiles sunt; qui in mundo nihil habent, et supra mundum existunt, qui etiam in carne extra carnem vivunt; qui pro portione Dominum habent; qui propter regnum* [scilicet coeleste] *inopia laborant, et propter inopiam regnant* [3]).

---

[1]) Ibid. grad. I. fin. [2]) In c. I. Gen. hom. V. n. 2. [3]) Or. VI. de pace 1. n. 2.

S. Bernardus: *Si sis pronus compati, subvenire promptus, dare quam accipere beatius judicans; ignoscere facilis, irasci difficilis, ulcisci penitus non acquiescens, et per omnia proximorum aeque ut proprias respiciens necessitates. O quaecunque es anima sic affecta, sic imbuta rore misericordiae, sic affluens pietatis visceribus, sic te omnibus omnia faciens, sic facta ipsa tibi tanquam vas perditum, ut ceteris praesto ubique semper occurras atque succurras; sic denique mortua tibi, ut vivas omnibus: tu plane optimum pietatis unguentum felix possides, et manus tuae distillaverunt totius suavitatis liquorem. Non exsiccabitur in tempore malo, nec fervor persecutionis ebibet illum: sed semper Deus memor erit omnis sacrificii tui, et holocaustum tuum pingue fiet.... Tu quoque si donum quod desuper accepisti, nobis contubernalibus tuis libenter impertiaris; si te exhibeas ubique inter nos officiosum, si affectuosum, si gratum, si tractabilem, si humilem, testimonium habebis ab omnibus, quod fragres et ipse unguentis optimis* [1]).

S. Laurentius Justinianus: *Anima, quae sortita est gratiam, ut sponsa censeatur et sit.... studet gravitatem custodire in moribus, innocentiam servare in corde, fraternitatis tenere unitatem, compassionem adhibere afflictis, loquacitatem taciturnitate compescere, edacitatem sobrietate restringere, elationem humilitate superare, se odientes diligere, inimicis benefacere, pro persecutoribus exorare, nullo*

---

[1]) In Cantic. serm. XII. n. 1 et 5.

invidiae morderi aculeo, nocere nemini, nulli detrahere; sed universos tanquam se dulci complecti dilectionis affectu [1]).

Et alibi: *Studeat in omnibus gratias agere, gloriam majestatis divinae concupiscere, ipsamque in verbis, in moribus, in conversatione et cunctis operibus suis exhibere laudabilem. Plane nullum hoc sacrificio majus; nullaque oblatio* [scilicet ex opere operantis] *est ista acceptior. Per hanc utique sancti homines spiritualibus charismatibus decorati, Deo placere studuerunt, ipsius gloriam et honorem nominis ejus mercedem propriam arbitrantes* [2]).

Idem alio in loco: *Quanto ignis est vehementior, tanto suum latius diffundit splendorem pariter et calorem. Sic quae Verbi legitima est sponsa, profusius aliis suae sanctitatis spargit calorem et morum splendorem. Ex ipsius siquidem virtutum perfectione secernitur a ceteris, ac prae ceteris commendabilior judicatur. Est namque in moribus circumspecta, in verbis gravis, in agendis provida, in facie hilaris, in exhortando humilis, in corripiendo recta, in perferendis malis laeta, in prosperis suspiciosa, in orationibus crebra, in vigiliis assidua, in divinis laudibus jucunda, in compassione proclivis, in dilectione singularis, in animo serena, in consiliis matura, in humanis placida, in divinis suspensa, in corpore veluti in carcere detinetur, in coelo mente ac desiderio conversatur. Talis est Verbi*

---

[1]) De vita solit. c. XVIII. med. [2]) De instit. et et regim. Praelat. prolog.

sponsa, et hujusmodi virtutum splendoribus rutilat amica sponsi [1]).

Addam hoc loco monita in quodam raptu data, jussu beatissimae Virginis Mariae, a S. Maria Magdalena S. Franciscae Romanae, dicenda confessario illius, Joanni Matiotto, pro directione filiarum spiritualium illius, perfecte vivere cupientium. Exprimunt enim praecipuas proprietates, quas religiosus et quivis perfectionis studiosus habere debet. »Illae animae, quae volunt perfecte se dedicare Deo, et hanc viam ingredi, debent esse fundatae in vera fide et perfecta humilitate, et spoliare se rebus omnibus, et ponere totum amorem et affectum ipsarum in Deo et Salvatore. Debent habere cor purum, manum innocentem, et conservare se in mansuetudine in omni re, quam facere debent; sint excellentes — segnalate — in continentia, et fiduciam habeant in Deo, qui illas creavit. Debent habere animum generosum et pacificum et promptum ad serviendum: quia vita virtuosa in obedientia quiescit, et ac si esset mortua, ad vocem obedientiae viva incedit. Obediens instar est sagittae, quae posita in manu — del balestriere — sagittarii permittit se duci et tractari, prout ille vult, et emissa ex arcu, aliud non praetendit, nisi ut perveniat cum fervore illuc, quo dirigitur a sagittario: et strepitu, quem edit, dum velociter volat, patefacit sibi viam latam, nec ullus audet impedire ejus volatum, nec quiescit, donec pertingat ad suum scopum. Sagittarius — arciero —

---

[1]) De casto connub. c. XI. fin.

est obedientia, quae aliud non respicit, nisi voluntatem Dei, et aliud non praetendit, nisi ut faciat pervenire animam ad terminum suum, qui est Deus, et in Deo sistere illam cum Christo. Requiritur cum illa vera charitas, quia haec virtus velociter facit animam capacem summi boni« [1]). Haec omnia describunt bonum religiosum et virum spiritualem, qualis esse debeat, et quo collimare debet cum Deo agens in octiduana collectione.

Quod si quis a me quaerat, qualem putem esse bonum religiosum, sed non tantum religiosum, verum etiam perfectum sacerdotem et laicum saecularem? — exceptis quibusdam, quae sunt religiosorum propria et ad saeculares non spectant — haec mihi videntur necessaria:

I°. Erga Deum quatuor F. servanda sunt accurate.

1. Fugere omnia ea, quae Deo displicent, scilicet peccata et quasvis imperfectiones, ac violationes regularum.

2. Facere diligenter pura intentione omnia, quae Deo placent, uti sunt omnia opera nostra ordinaria et quotidiana.

3. Ferre aequo animo omnia, quae displicent amori proprio, tanquam a Deo immissa — si mala non sunt — vel permissa, uti sunt injuriae verborum vel factorum ab aliis illatae, reprehensiones, poenitentiae, licentiae negatae, accusationes falsae

---

[1]) Vit. l. IV. c. 3. cfr. Act. Sanct. Boll. t. VIII. 9. Mart. vit. I. L. II. visio XLIII. n. 109, sq.

vel inordinatae per recursum ad Superiorem mediatum, omisso immediato sine justa causa, dispositiones Superiorum de nobis quoad officia et occupationes et habitationem et similia contra gustum nostrum.

4. Ferri semper ad perfectiora, eligendo inter duo opera perfecta illud, quod perfectius est, et inter duo aeque perfecta id, quod est conjunctum cum majore humiliatione, vel paupertate, vel confusione, et conformius vitae Christi tot injuriis exagitatae.

II°. Erga Superiores quatuor N.

1. Nunquam pete ab ullo Superiore occupationem specialem, si id a te Superior non exigat; sed te committe divinae providentiae per Superiores tuos circa te declarandae.

2. Nunquam improbes facta et dicta Superiorum, et dispositiones, quas faciunt in officio suo de personis et rebus.

3. Nunquam te excuses reprehensus ab eis, nisi ipsi te interrogent et velint a te informari de re, de qua es accusatus, nisi forte talis sit res, ob quam, nisi te vere excusares, posses dimitti ex tuo Ordine, vel si magnum impedimentum divinae gloriae sequeretur ex omissa excusatione.

4. Nunquam detrecta ullam occupationem tibi a Superiore injunctam, nec aegre feras, si te mittat, quo non velles te esse missum, et si nullam occupationem certam tibi assignet: sicut non aegre ferres, si Deus certo visibiliter tibi apparens, ita de te disponeret quoad omnia, quomodo disposuit Superior, ejus vicarius et ejus voluntatis interpres.

III°. Erga domesticos quatuor N.

1. Nunquam censures mente et ore dicta, facta, intentiones, omissiones domesticorum; sed excuses omnia ex charitate.

2. Nunquam de absente quidquam dicas, quod non diceres de tuo caro amico, et quod de te in simili occasione dici nolles.

3. Nunquam facto, vel verbo, vel gestu offendas aut contristes fratrem tuum.

4. Non excuses te, quando aliquid rationabile petit a te; sed juves illum et facias, quando potes facere sine violatione ullius divinae vel humanae legis.

IV°. Erga externos quatuor N.

1. Nunquam ulli externo quidquam dicas, quod nolles a te dictum, si putares illum aliquando fore tuum, vel tui Ordinis, vel Congregationis inimicum.

2. Nunquam ulli externo famulum vel ancillam pro servitio, vel sponsam pro uxore concilies, quod vehementer cavit S. Ambrosius et S. Augustinus.

3. Nunquam quidquam dicas vel facias in aliena domo, quod possit etiam speciem mali et scandali praebere domesticis.

4. Nunquam offeras operam tuam ad tractanda externorum negotia, quae putas non placitura Superioribus tuis.

V°. Erga te.

1. In cubiculo tuo ita in omnibus actionibus te gere et in modo eas peragendi, in quo non erubesceres te inveniri a superveniente Superiore, vel aliquo viro gravi.

2. Da operam, ut sic perfecte vivas, ut sis pa-

ratus mori semper morte subitanea ex improviso et confessario non indigens.

3. Conare, ut in fine hebdomadae cujusvis — si non potes in fine diei — invenias et agnoscas te profecisse in aliqua virtute.

4. Peculiari studio procura, ut omnes temporis partes transigas in operibus meritoriis vitae aeternae; ac proinde omne otium fugias et occupationes etiam bonas, sed ad praesentem tuum statum non necessarias, nec illi utiles.

CAPUT XVIII.

Adferuntur causae, ob quas in multis non apparet, vel non diu durat fructus exercitiorum seu octiduanae collectionis.

Notandae sunt causae, ob quas multi post exercitia facta, vel non emendantur, vel non diu servando bona proposita, ardenti licet animo in exercitiis facta, redeunt ad pristinam tepiditatem, et, ut loquitur S. Bernardus [1]) et S. Laurentius Justinianus [2]), *a sapiente ad indisciplinatorum conversationem*, hoc est, vivendi rationem imperfectam et laxam.

Causae sunt hae:

Prima: Si meditationes non sint factae cum totali applicatione animi ad eas bene faciendas; quae applicatio si desit, impossibile est, ut bene fiant.

---

[1]) Ep. II. n. 7. [2]) L. de humilit. c. XIX. col. 3.

Signum autem infallibile malae applicationis est: si sine debita praemissa praeparatione incipiat suas meditationes: si temporis particulas, quas in lectione pia, vel suavibus considerationibus novis, aut meditationis punctorum ruminatione transigere deberet, in otio vel cogitationibus impertinentibus traducat, vel lectione librorum etsi piorum, magis tamen curiositati explendae, quam piis affectibus excitandis servientium tunc se occupet: si silentium eo tempore non servet: si curiositati oculorum ad aspiciendas res non necessarias indulgeat: si in aliis occupationibus manualibus tunc non necessariis tempus terat; qui talis est, ni Deus postea miraculose, ut ita dicam, illi succurrat, tam erit post meditationes peractas tepidus et imperfectus, sicut fuit antea; saepe vero, justo Dei judicio, pejor in poenam peccati, quod tam excellenti medio sibi a Deo dato abusus sit cum offensis his divinae majestatis. Nam si in studiis non proficit is, qui se ad ea non applicat, habens bonum ingenium et sanitatem, cum tamen profectus in literis non superet vires naturae: multo minus proficient in effectu meditationum et in ipsis meditationibus, quae praeter naturae applicationem necessario indigent supernaturali concursu, eoque multiplici auxiliorum divinae gratiae, tum ad bene meditandum et orandum, tum ad superanda taedia solitariae per plures dies commorationis, tum ad concipienda bona proposita, de resecandis multis peccatis et imperfectionibus amori proprio jucundis, et de inserendis multis virtutibus et neglectis antea vel male exercitatis, et de necessaria omni-

no quoad haec magna sui victoria et eradicatione pravarum affectionum, ex quibus omnes nostri defectus nascuntur, et studium virtutum vel negligitur, vel languide exercetur et sine ullo ulteriore progressu. E contrario vero, dum meditationes cum magna animi applicatione fiunt, incredibiliter mutant hominem, eique Dei auxilia magna conciliant ad vitae renovationem. *Is enim Domini nostri mos est,* inquit S. Chrysostomus, *ut quoties videt animam aliquam multo desiderio studioque maximo spiritualibus inhiantem, liberaliter illam gratia et opulentis donis suis locupletet* [1]).

Secunda causa est: Malus usus temporis in exercitiis. Nam etsi quis bene meditationes expediat, sed reliquum tempus non bene, non speret — citra miraculum — diuturnum ex exercitiis fructum. Male autem tempus expenditur, si extra tempus meditationum vaces studiis philosophicis vel theologicis — multo pejus si humanioribus — vel colligendis materiis pro concionibus et his similibus. Hoc experientia perpetua ostendit in talibus. Ita post exercitia sunt tepidi, sicut fuerunt antea, imo saepe pejores et magis dissoluti.

Tertia causa est: Difformitas occupationum intercedentium inter horas meditationum. Exempli gratia: si quis tunc occupet se etiam in bonis rebus, sed non congruentibus materiae praesentium meditationum; ut si quis tunc vacaret describendis vel legendis rebus bonis, disparatis tamen et non ju-

[1]) In c. I. Gen. hom. IV. n. 1.

vantibus ad executionem bonorum propositorum in praesentibus materiis factorum, talis non assequeretur plene fructum exercitiorum, et non retineret diu bona proposita, etsi bene in meditationibus accurate expeditis facta; sed cito post exercitia rediret ad pristinam tepiditatem vel languorem quendam in studio virtutum; qui tamen est minus malum, quam tepiditas, quae est mater apertae negligentiae in vita spirituali. Hanc ob causam S. P. Ignatius, additione sexta, vult extra tempora meditationum proportionatas iis foveri cogitationes, et in prima hebdomada vitari etiam pias cogitationes laetitiam excitantes; et annotatione undecima monet, ne qui facit exercitia sciat, qua de re sit postea meditaturus in sequenti hebdomada: ut ne remote quidem abstrahatur ad disparatas cogitationes, non convenientes praesenti statui et materiae meditationum. Tanti refert fovere conformes cogitationes extra meditationem materiae praesentium meditationum. Quam ad rem accommodari potest id, quod dicit S. Gregorius Nyssenus: *Quod improprium est et alienum, praeterquam quod nihil prodest, res est inordinata, incomposita atque absurda, non solum in iis orationibus, quae de religione ac pietate habentur, verum etiam in externis et iis, quae ad mundanam pertinent sapientiam. Quis enim est orator ita stultus adeoque ridiculus, qui ad nuptias hilaritate et jucunditate plenas vocatus, relicto apto et jucundo genere orationis, quod accommodatum sit, ac quasi congratuletur hilaritati ac festivitati conventus, tristia quaedam carmina atque*

lugubria pronuntiet, et ex tragoedia petitas calamitates in convivio nuptiali et in thalamo occinat? Aut e contrario mortuo alicui justa exequi et orationem funebrem habere jussus, oblitus praesentis casus, jucundum se praebeat et hilarem apud moestitia plenum conventum? Quod si in rebus mundanis res decora est ordo atque scientia, multo profecto magis eam observari convenit in rebus magnis atque coelestibus [1]).

Quarta causa est: Si exercitia fiant non eo ordine, quo a S. P. N. Ignatio tradita sunt; nimirum: ut prius fiant ea, quae ad viam purgativam spectant, postea ea, quae ad illuminativam in secunda et tertia hebdomada contentam. Immo in ipsa prima hebdomada et secunda ille ordo servandus est, quo sunt positae meditationes a S. Patre cum magno artificio — uti sciunt periti exercitiorum tradendorum, ad quos spectat ostendere, cur haec ante illam meditationem praemittenda sit — quod ostendi in quodam opusculo de exercitiis; et ante omnia praecedere debet valde accurata et diuturna consideratio fundamenti seu finis, ad quem creati sumus: et quidem primo omnium, postea consideratio proprii finis tuae Congregationis; quae considerationes solae sunt tanti momenti, ut si per eas imprimerentur profunde nostrae menti veritates, quas Dei sapientia tunc solet communicare bene meditantibus, sufficerent sine sequentibus meditationibus ad hominem plene renovandum et inflam-

[1]) In Christi resurrect. or. III. post exord.

mandum ad studium constans eximiae perfectionis et sanctitatis. Et ita illa pia virgo Maria Bonaventura, Ordinis S. Benedicti Romae in monasterio religiosissimo et nobilissimo Turris speculorum dicto, primo die exercitiorum, quae ei dedi, meditando finem hominis conversa est ad eximiam et valde raram sanctimoniam vitae, in fine hujus opusculi descriptae. Simili modo post meditationes purgativas defectuum et imperfectionum crassiorum primae hebdomadae exercitiorum proprias, vel eis affines — uti sunt: de peccato veniali, de purgatorio, de damnis peccatorum, de judicio etc. — antequam particularia vitae Christi mysteria meditentur, necessario praemittenda est meditatio de regno Christi, ut in ea excitetur generale, sed ardens desiderium Christum imitandi in iis rebus, quae in particulari imitandae merito proponentur, dum meditabuntur particularia mysteria vitae et passionis Christi, in quibus homo agnoscit res particulares, quas vitare et facere debet in hac sacra regis coelestis Jesu Christi militia. Quo autem profundius menti imprimantur res particulares, tum considerandae in Christi Incarnatione, Nativitate, tum considerandae de Christi Circumcisione, pastoribus eum visitantibus, et Magis, et aliis mysteriis vitae Christi, multum confert meditatio de duobus vexillis, applicata apte ad praesentem tuum statum et vivendi, quam tenes, rationem. Quod si sis ex classe tepide viventium et non adhibentium media apta ad prosequendum constanter studium virtutum, sed vel ob humanos respectus, vel ob alia solatia et occu-

patiunculas, tuum in virtutibus profectum impedientes, expertus es, te non exequi et antiqua et quotidiana bona proposita circa fugam vitiorum et exercitium bonorum operum, plurimum conducit exercitium de tribus hominum classibus, accommodatum vel per te, vel per directorem tuum, ad statum tuum praesentem. In eo enim agnosces clarius, cur non profeceris hactenus in virtutibus, habens tot media et auxilia Dei pro eximio progressu et veloci in illis. Post haec peracta, tum demum animus disponetur et animabitur magis ad Christum imitandum in rebus difficilioribus, quas Deus menti proponet, dum meditaberis mysteria passionis Christi, praesertim ultima, facto initio ab oratione Christi in horto, vel a proditione Judae etc. Meditationes tempore exercitiorum debent esse instar rotarum horologii rotati, inter se connexae et certo ordine dispositae, ut una rota moveat aliam, et sic deinceps; alioqui sicut horologium non curret, nec horas indicabit, sine certo ordine ac dispositione rotarum: sic nec meditationes in exercitiis adferent eum fructum, ob quem sunt exercitia instituta. Aliis temporibus non est necessario adhibendus ullus ordo, dummodo bene fiant meditationes; at in exercitiis seu collectione octo dierum id servandum est. Hanc ob causam S. Pater annotatione vigesima id commendavit: Ei, inquit, qui a negotiis liberior est, et fructum consequi spiritualem optat, quam possit maximum, tradenda sunt omnia exercitia eodem, quo procedunt, ordine. Quocirca in septima Con-

gregatione generali, ubi commendatur nobis haec annua collectio ab omnibus, etiam Superioribus, facienda, decreto XXV. §. 4. — ex quo canon quartus desumptus est — dicitur, ut fiant exercitia, servata in illis proportione methodoque, quibus integra exercitia fieri consueverunt. Atque ita nunquam omittenda sunt exercitia conformia primae hebdomadae et viae purgativae, etiamsi ea facturus sit antea valde deditus orationi mentali et in via spirituali provectus, ut bene dicitur in Directorio exercitiorum c. IX. §. 3. fin. Et nostris etiam, qui antea exercitia fecerunt, et sunt in illis versati, hoc servandum praescribitur in Directorio eodem cap. X. §. 4, 6. et c. XI. §. 4. Quam sane nostrorum exercitiorum dispositionem et methodum ipse Christus Dominus multo ante commendaverat S. Brigittae libr. VI. Revel. c. 65. Tradens enim modum, quo aliquis ad perfectionem, et per quos gradus ordinate tendere debeat, sic ait: »Cogitet taliter: Deus, inquiens, ea ratione me creavit, ut ipsum super omnia honorarem et honorando diligerem et timerem. Natus quoque est de Virgine, ut viam ad coelum duceret, quam imitando ego sequerer cum humilitate; deinde morte sua aperuit coelum, ut illuc desiderando et veniendo festinarem, — quod in meditatione fundamenti et aliis posterioribus ponderatur, inter media ad finem nostrum data. Deinde ait: — Cogitet etiam et examinet opera omnia sua, cogitatus et affectus, scilicet: quomodo offenderit Deum, quam patienter toleret Deus hominem, et quam multis modis vocat homi-

nem ad se. Tales cogitationes et similes sunt in tenebris, nisi illuminentur igne Spiritus sancti, qui ignis tunc advenit in cor, quando quis cogitat, rationabile esse servire Deo: quando magis vellet omnem poenam subire, quam scienter Deum ad iram provocare, cujus bonitate anima est creata, et sanguine benedicto redempta« etc. et multa alia prosequitur de examine cogitationum et intentionum nostrarum, quae maxime cognoscuntur et practicantur tempore collectionis.

Quinta causa est non diuturni fructus exercitiorum: Neglecta continuatio bonorum propositorum in ipso tempore exercitiorum. Nam etiam extra tempus exercitiorum saepe, sed brevissime iteranda sunt — cum fervore tamen et affectu — proposita in meditationibus facta, per modum orationum brevium jaculatoriarum; quod plurimum conducere ad conservandam devotionem docet cum S. Augustino, libr. de orando Deum, S. Thomas, eum citans ad hoc propositum 2. 2. q. CLXXI. a. 2. ad 2. Id valde prodest, ut profundius menti imprimantur, juxta illud: »Gutta cavat lapidem, non vi, sed saepe cadendo«; et: »Lectio lecta placet, decies repetita placebit.« Et hae sunt causae in ipso tempore exercitiorum occurrentes.

Sexta causa est: Si post finita exercitia non removeantur illa impedimenta, ob quae antea non perfecte vivebas: uti sunt conversationes cum personis non spiritualibus. Tales enim socii dissipant valde spiritum, uti e contrario spirituales valde illum conservant et augent. *Cum sancto*, ait rex

David, *sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris.... et cum perverso perverteris* [1]). Et Salomon: *Qui cum sapientibus graditur sapiens erit; amicus stultorum similis efficietur* [2]). Hoc ipsum alibi docuit Spiritus sanctus: *Cum viro sancto assiduus esto, quemcunque cognoveris observantem timorem Dei; cujus anima est secundum animam tuam, et qui, cum titubaveris in tenebris, condolebit tibi.... Anima viri sancti enuntiat aliquando vera, quam septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum* [3]). Et alibi: *Viri justi sint tibi convivae, et in timore Dei sit tibi gloriatio; et in sensu sit tibi cogitatus Dei, et omnis enarratio tua in praeceptis Altissimi* [4]). *Reipsa nocent amicitiae*, inquit S. Basilius, *cum malitia initae, siquidem ista amicitiae lex inter conjunctos ex quadam similitudine solet intercedere. Unde recte dictum est: »Corrumpunt mores bonos colloquia mala« (I. Cor. XV. 33). Quemadmodum enim in pestilentibus locis aer sensim spiritu ductus latentem morbum incolis ingenerat: sic inita cum malis consuetudo animis infert mala non parva, tametsi noxa non statim sentitur* [5]).

Septima causa est: Si ob humanos respectus et pudorem noxium statim post exercitia, in occasionibus violandarum legum vel regularum et non spiritualiter vivendi, vel ob metum ne irridearis,

---

[1]) Ps. XVII, 26. 27. [2]) Prov. XIII, 20. [3]) Eccli. XXXVII, 15. 16. 18. [4]) Eccli. IX, 22. 23. [5]) Hom. *Quod Deus non sit auctor malorum.* n. 9.

aut ne pro devotulo et scrupuloso habearis, nolis abstinere a prioribus vel levitatibus vel aliis regularum transgressionibus. Ideo frangenda est, ut dicitur, prima glacies, et in prima occasione, quae se tibi offeret, aperte ostendas, — etiamsi deberes aliquem offendere — te velle servare omnes regulas, nullam violare, faciendo vetita et omittendo ab eis praescripta. Quod si feceris, relinquent te imperfecti, et non inducent ad pristinas transgressiones parvarum regularum. Immo te praesente non audebunt eas violare, sive ob pudorem, sive ob metum, ne a te accusentur Superioribus. Ut enim scripsit S. Isidorus Pelusiota: *Quemadmodum pudica mulier, castitatis notas in facie gestans, eorum qui impudicos in eam oculos conjiciunt, exspectationes reprimit: eodem modo pudica anima virtutis tesseras in sensibus ferens, eorum, qui ipsius pulchritudinem corrumpere cupiunt, spes exscindit. Quisnam enim hujusmodi oculum suavitate et ingenuitate temperatum conspiciens, propius accedere audeat? Quisnam autem linguam, quae honestatis et gravitatis delubrum sit, intuens, non sibi aditum omnem ad congressum illicitum interclusum arbitretur? Quisnam denique reliquos sensus virtutum instrumenta esse animadvertens, praeposterum consilium dare minime pertimescat?* [1]). Et hac ratione etiam aliis proderis. *Nam sicut inter famulos,* ait S. Chrysostomus, *qui honestiores sunt et clariores, conservis suis terrori sunt; qui autem*

[1]) L. III. epist. 287.

offenderunt herum, conservos timent [1]): idem evenit inter religiosos bonos et discolos. Immo hac tui mutatione et declaratione fieri potest, ut illi quoque non solum non audeant te spectante transgredi regulas, sed ut etiam mutentur in melius et convertantur. »Justi et probi viri instar fermenti sese habent, inquit idem S. Chrysostomus, ut sui similes, probos efficiant. Sic duodecim Apostoli orbem universum ad se converterunt. Ideo Deus reliquit malos inter bonos, ut sicut ejusdem naturae sunt participes, sic iisdem animis eadem vitae instituta amplectantur.« »Qui in unguentaria taberna resederunt, inquit Seneca, et....paulo diutius commorati sunt, odorem secum loci ferunt; et qui ad philosophum fuerunt traxerint aliquid necesse est, quod prodesset etiam negligentibus« [2]). Hinc fingit Plato Atridem dixisse Socrati: »Nihil unquam, o Socrates, a te, ut ipse scis, didici: proficiebam autem quotiescunque tecum essem.... Et mihi quidem videbar multo magis, quando....aliquid te dicentem intuebar....sed longe magis proficiebam, cum apud te sedens, te tangebam« [3]). Ideo Socrates apud Platonem dixit e Theognidis sententiis: »Hos prope bibe et comede, cum iis una sedeto, iis obsequere, quorum magna potestas: a bonis enim bona perdisces. Quodsi malis adhaeseris, quam habes mentem procul dubio perdes« [4]).

Octava causa est: Si post exercitia negligen-

[1]) Serm. III. in Gen. n. 2. [2]) Epist. 108. §. 4. [3]) In Theage p. 130. [4]) In Menone p. 95.

ter meditationes expedies, non durabunt bona proposita exercitiorum. Sequentes enim meditationes — uti faciendum monet S. Macarius [1]) — sunt veluti ligna nova in dies adjuncta, quae accensum antea ignem conservant et fovent; alioquin extinguetur, ni nova et nova addas. *Ex hujusmodi siquidem meditationibus*, inquit S. Laurentius Just., *ignis divini amoris exardescit et vehementer accenditur, ita ut potens sit cunctam mundialis carnalisque affectus detergere rubiginem, atque divinam in homine clarificare imaginem, quae temporalium rerum inordinata dilectione foedatur* [2]). Inter temporales autem res sunt omnia illa impedimenta spiritualis profectus et perfectionis, quae multos retardant in religione ab assecutione perfectionis, uti sunt: amicitiae singulares — non fundatae in virtute et supernaturalibus motivis, sed aut in communione ejusdem patriae, aut in sympathia complexionis etc. — conversationes et colloquia cum libere viventibus ideo instituta: quia sunt laeti, non scrupulosi, ad Superiores non deferentes visos defectus etc., neglectus meditationum, colloquia non spiritualia, sed nugis, jocis, cachinnis, clamoribus plena, sensuum exigua custodia, libertas agendi, immodestia in incessu, scurrilitas, et his similia. Quapropter post exercitia bene peracta attendendum est, ut etiam sequenti tempore, maxime primo mense post illa, accurate facias quotidianas meditationes. Nam in exercitiis veluti fundamenta jaciuntur, et educuntur muri prin-

[1]) Hom. XL. n. 7. [2]) L. de obed. c. XXVIII. med.

cipales aedificii spiritualis, cui studium perfectionis dicitur esse simile a SS. Patribus [1]). Hoc autem aedificium in exercitiis inchoatum et elevari sat in altum coeptum, per meditationes postea accurate faciendas, continuandum est et, ut dicitur in evangelio [2]) eadem similitudine utente, consummandum. Hoc enim orationis considerativae, ut ita dicam, rerum divinarum continuatum exercitium plurimum conducet, ut defectus aboleantur, passiones domentur, ut tentationibus generose resistatur, et omnes difficultates vitae spiritualis superentur, et virtutes inserantur, et turris altissima evangelicae perfectionis ad coelum quodammodo, id est, ad coelestem vivendi rationem erigatur. Nam, ut ait S. Bonaventura tractans de meditationibus vitae Christi: »Virtus orationis inaestimabilis et efficax est ad omnia proficua impetranda et nociva removenda. Si vis patienter tolerare adversa, sis homo orationis. Si vis tentationes et tribulationes superare, sis homo orationis. Si vis pravas affectiones conculcare, sis homo orationis. Si vis astutias Satanae cognoscere, ac ejus fallacias vitare, sis homo orationis. Si vis laetanter vivere in opere Dei, et laboris et afflictionis viam incedere, sis homo orationis. Si vis spirituali vita te exercere, et carnis curam non agere in desideriis, sis homo orationis. Si vis vanas mu-

[1]) *Ignat.* ep. ad Ephes. §. 9; *Hieron.* com. in ep. ad Ephes. l. I. c. II. v. 19; *Doroth.* doctr. XIV; *Cassian.* de coenob. instit. l. XII. c. 31; *Thom.* 2. 2. q. CLXI. a. 5. ad 2. [2]) Luc. XIV, 30.

scas cogitationum effugare, sis homo orationis. Si vis animam tuam sanctis et bonis cogitationibus desideriis, fervoribus et devotionibus impinguare sis homo orationis. Si vis cor tuum virili spiritu et constanti proposito in Dei beneplacito stabilire, sis homo orationis. Denique si vis vitia exstirpare et virtutibus imbui, sis homo orationis: in ea enim recipitur Spiritus sancti unctio, quae de omnibus mentem docet. Item si vis ad contemplationem ascendere et frui complexibus sponsi, sis homo orationis: ad eam namque contemplationem et coelestium degustationem per orationis exercitium devenitur. Ad quorum omnium confirmationem, omissis Scripturarum probationibus, hoc tibi sit pro efficaci probatione, quod audimus et videmus quotidie per experientias, illiteratas personas et simplices praedicta et alia plura et majora per virtutem orationis fuisse adeptas.«

Nona causa: Lectio librorum spiritualium affectui movendo servientium, uti sunt vitae Sanctorum, Thomas de Kempis et similes, incredibiliter fovent bona proposita et eorum executionem promovent. Immo lectio talium librorum est valde efficax medium ad acquirendam sanctitatem; et hanc ob causam ea commendabatur suis a S. Philippo Nerio, qui quotidie aliquot horis audiebat legi sibi vitas Sanctorum ab aliquo e domesticis, et cum nullum haberet ad manum, ipse eas legebat [1]). Ideo si ne-

[1]) Act. Sanct. Boll. t. XIX. vit. II. c. XIII. n. 164. et c. XIV. n. 184.

gligatur vel perfunctorie expediatur haec lectio spiritualis, bona proposita evanescent.

Decima: Fere plus, quam reliqua externa, conducit ad exercitiorum fructum conservandum et augendum spiritualis conversatio non promiscua, sed cum melioribus perpetua — non tamen clandestina, nec cum uno solo, nec extra tempora assignata pro conversatione, sed modo cum hoc, modo cum alio, sine secretis conventiculis — hoc est, cum talibus, quos vides abstinere a fractione regularum, a censuris morum alienorum, praesertim Superiorum, et his similium, quos vides magis compositos, magis collectos et magis modestos, ac de rebus bonis semper loquentes, quos vides magis devotos et magis se mortificantes; cum talibus, inquam, conversatio spiritualis plurimum juvat ad conservandum fructum exercitiorum et augendum. *Magnum bonum est*, inquit S. Chrysostomus, *bonis assuescere* [1]). Est bona talis partialitas. Immo S. Agnes divinitus docuit S. Brigittam, »sapientem Dei dilectionem esse, quando plus diliguntur illi, qui videntur in amore Dei ferventiores« [2]); quos autem magis diligere debemus, magis cum iis conversari possumus. Ideo S. Pachomius, inter monita suis ante mortem data, etiam hoc reliquit: *Cum illis conversamini, qui Dominum metuunt, et possunt prodesse vobis conversatione sancta, et animabus vestris spiritualia praestare solatia* [3]); sive ii sint coaetanei,

---

[1]) Hom. VI. in II. Timoth. c. III. n. 4. [2]) Revel. l. IV. c. 17. [3]) Vitae c. 53. Patrol. lat. Migne t. LXXIII.

sive natu majores, praesertim si sint senio magnis sanctimoniae et virtutis insignibus ornato venerandi. *Plurimum prodest unicuique,* inquit S. Ambrosius, *bonis jungi. Adolescentibus quoque utile, ut claros et sapientes viros sequantur; quoniam qui congreditur sapientibus, sapiens est: qui autem cohaeret imprudentibus, imprudens agnoscitur. Et ad instructionem itaque plurimum proficit, et ad probitatis testimonium. Ostendunt enim adolescentes eorum se imitatores esse, quibus adhaerent; et ea convalescit opinio, quod ab his vivendi acceperint similitudinem, cum quibus conversandi hauserint cupiditatem. Inde tantus Jesus Nave* [id est, Josue], *quod eum non solum erudivit ad Legis scientiam Moysi copula, verum etiam sanctificavit ad gratiam* [1]). Et infra: *Pulchra itaque copula seniorum atque adolescentium. Alii testimonio, alii solatio sunt; alii magisterio, alii delectationi. Omitto quod Abrahae adhaesit Loth adolescentulus etiam proficiscenti.... Quid Eliam atque Elisaeum loquamur?.... In Actibus Apostolorum Barnabas Marcum assumpsit, Paulus Silam, Paulus Timotheum, Paulus Titum.... Plerumque etiam virtutibus pares, dispares aetatibus, sui delectantur copula, sicut delectabantur Petrus et Joannes. Nam adolescentem legimus in Evangelio Joannem et sua voce, licet meritis et sapientia nulli fuerit seniorum secundus: erat enim in eo senectus venerabilis morum et cana prudentia. Vita enim immaculata bonae*

[1]) De offic. ministr. l. II. c. 22. n. 97, sq.

senectutis stipendium est [1]). Immo ethnicus Seneca id suadebat: »Cum his versare, qui te meliorem facturi sunt; illos admitte, quos tu potes facere meliores. Mutuo ista fiunt, et homines, dum docent, discunt« [2]). Quin et Cicero ductu rationis monuit: »Neminem omnino esse negligendum, in quo aliqua significatio virtutis appareat: colendum autem esse ita quemque maxime, ut quisque maxime his virtutibus lenioribus erit ornatus, modestia, temperantia.... justitia« [3]). Hoc bene sciens S. P. N. Ignatius tractans ex professo de conservatione Societatis in iis, quae ad animam et profectum in virtutibus pertinent, talium conversationem, et contrariorum prudentem declinationem in Constitutionibus praescripsit, tanquam magnum medium ad profectum spiritus, quod verbis valde efficacibus sic expressit: Quod ad animam attinet, cum tanti referat, eos....ab omnibus imperfectionibus, et quibusvis impedimentis majoris spiritualis profectus removere; (— Nota S. Patrem non esse contentum, ut illa tantum impedimenta removeantur, quae qualemcunque profectum impediunt, sed illa quoque removeri vult a nobis, quae majorem profectum impediunt —) multum ad id confert, omnem (— non dicit tantum frequentem —) communicationem (— quae plus est, quam sola conversatio —) per verba et scripta ut abjiciant

[1]) Ibid. n. 100, sq. [2]) Epist. 7. §. 7. [3]) De offic. l. I. c. 15. §. 46.

cum iis, qui in proposito sibi instituto intepescendi causa esse possunt (— quanto magis cum iis, qui actu et re ipsa fuerunt tibi causa intepescendi —); et ut in via spirituali incedendo, cum iis duntaxat personis (— atque ita prohibet omnino, et fugiendas docet illas, quae tales non sunt —) et iis de rebus agant, quae juvent in divino obsequio ad id consequendum, quod in ingressu Societatis sibi ut scopum praefigebant[1]); scilicet, propriam et aliorum salutem ac perfectionem. Idque tanti fecit S. P. N. Ignatius, ut in declaratione illius paragraphi scriptum reliquerit: Si in aliquo loco sollicitatur (— scilicet ad vivendum non conformiter regulis —) vel perturbatur aliquis (— scilicet irrisionibus, censuris, vexationibus —) ab hominibus, qui in via spiritus non bene procedunt, videat Superior, num eundem in alium locum transmitti expediat, ubi divino obsequio commodius insistat[2]). Et eodem capite subdit: Eadem de causa egredi domo non debent, nisi quando, et cum quo socio Superiori visum fuerit. Nec domi hi cum illis pro suo arbitratu colloquantur, sed cum iis tantum, qui a Superiore praescripti fuerint: quorum exemplo et spiritualibus colloquiis aedificationem accipiant, non autem offensionem, et pro-

[1]) Const. p. III. c. I. §. 2. [2]) Declar. lit. A.

ficiant in Domino [1]). Quocirca contra spiritum et doctrinam S. P. N. Ignatii et aliorum Sanctorum est, promiscue conversando cum omnibus fugere conversationem eorum, qui sciuntur de piis et spiritualibus rebus colloqui et modestius vivere, ac minus aliis regulas violare, vel nunquam violare, etiamsi ii sint valde juvenes. Nec enim omnes senes iis sunt praediti moribus, qui juniores aedificent; neque juvenes declinandi sunt, si virtutem senilem praeseferunt. Nam, ut sapienter observavit S. Ignatius Martyr: »*Non longaevi sunt sapientes, neque senes sciunt prudentiam; sed spiritus est in hominibus*« (*Job. XXXII, 8. 9.*). *Daniel enim ille sapiens, cum duodecim esset annorum, Spiritu divino afflatus est; et senes frustra canitiem ferentes, calumniatores ac alienae formae appetentes esse coarguit. (Dan. XIII.) Samuel autem, parvulus quoque, Elim nonagenarium reprehendit, quod filios suos Deo praeferret. (I. Reg. III, 1.) Similiter Jeremias audit a Deo:* »*Noli dicere quia junior sum.*« (*Jer. I, 6*). *Salomon vero et Josias, ille quidem duodecimo aetatis anno regnare incipiens, illud terribile et arduum explicatu, in mulierum de infantibus causa judicium tulit (III. Reg. III.); hic vero, octo natus annos, regni gubernaculis admotus, aras et templa disjecit et lucos combussit;....et falsos sacerdotes jugulavit. Adolescentia igitur non est contemnenda, quoties Deo dedita consecrataque fuerit... Juvenis erat Christi-*

[1]) Ibid. §. 3.

gerus Timotheus; verum quid illi magister scribat, audiatis: »*Nemo adolescentiam tuam contemnat*« *(I. Tim. IV, 12.)* [1]). Sed et cum talibus conversatio debet esse vere spiritualis, ac religioso nomine et veste, ac professione digna. Nulla enim occupatio in religione ita detegit bonum vel malum statum religiosi, uti recreatio. In ea se produnt mores quales sint, et qualis sit internus animae status. Et quod S. Gregorius Nyssenus [2]) dixit de quovis christiano non vivente, ut decet christianum, hoc est divinae virtutis imitatorem, sed instar simiae Alexandrinae, persona hominis et vestibus humanis indutae a quodam circulatore et praestigiatore, et ad cantum et modulationem apte se moventis atque circumagentis, sed, ab alio projectis amygdalis, oblitae saltationis, accurrentis ad amygdala, et ne impedimento esset, personam humanam ori detrahentis, atque unguibus suis assimulatam formam dilacerantis, et turpem faciem suam naturalem conspiciendam praebentis; idem dici potest de religioso intus male constituto, ac irreligiose vivente, sed specie quadam et religiosa veste veluti personato incedente, ubi se in recreatione obtulerint occasiones jocorum, facetiarum, scurrilitatum, detractionum, veluti amygdalorum aut nucum simiae oblatorum, repente eas arripiunt, et simias se, non veros religiosos et spirituales homines demonstrant. Caveamus igitur, ut loco citato monet S. Grego-

[1]) Epist. interpol. ad Magnes. §. 3. [2]) De professione christ. ad Harmonium.

rius Nyssenus: *Ne dum nuda professione ac specie* [religiosi] *praetextuque solius nominis insignimur, aliud atque videamur esse ab eo, qui occulta intuetur, demonstremur. Quemadmodum enim*, ut paulo ante praemiserat, *simiae non satis fuit falsa atque assimulata adscitaque forma, ad hoc ut homo existimaretur, deprehensa per ingluviem bellariorum natura: ita qui non vere ipsam naturam suam* [religiosum spiritum] *fide formaverint, facile per diaboli escam et ingluviem convincentur, quod aliud sint atque prae se ferant ac profiteantur.*

Undecima causa, ob quam non durant fructus exercitiorum, est: Indevotus usus sanctissimae Eucharistiae, tum ante ejus receptionem, tum post eam receptam: si te cito conferas ad profanas occupationes. Una enim et sola communio bene peracta est sufficiens ad faciendum hominem perfectum et sanctum, uti dicebat S. Maria Magdalena de Pazzis [1]). Merito hoc dicebat; quia hoc ipsum S. Dionysius Areopagita dixerat: »Verus ad sacra percipienda accessus, id accedentibus tribuit, ut ex communione divina ad Dei similitudinem atque consortium transeant« [2]).

Duodecima causa est: Neglecta renovatio praecipuorum propositorum in exercitiis factorum: mirum enim in modum juvant, si quotidie renoventur aliquotics: 1^0 in fine meditationis; 2^0 in sacro, si illud audis, post elevationem maxime, si vero Sacerdos es, in ipsa communione, vel ante

[1]) Ut supra pag. 69. [2]) Ut supra pag. 71.

illam loco praeparationis, quae gratissima erit Deo post dictum: *Domine non sum dignus* etc. *); 3° in examinibus conscientiae circa finem eorum; 4° etiam dum is e cubiculo ad aliquem locum remotiorem, prodest ea renovare. Porro cum omnia renovari nequeant, quatuor proposita saepe renova, quae sunt velut radices et fontes omnium nostrorum bonorum et totius vitae spiritualis, et, ut appellat S. Joannes Climacus, *virtutum parentes seu matres* [1]). Primum: Fugere omnia illa, quae displicent Deo, scilicet peccata et violationes regularum. Secundum: Facere bene omnia opera ordinaria, praesertim meditationem, examina et recreationem. Tertium: Ferre aequo animo omnia, quae displicent amori proprio, uti sunt irrisiones, contemptus. Quartum: Ferri semper ad perfectiora, hoc est, curandi perpetuum in virtutibus progressum, sicut cum curas in studiis et inter res bonas eligendi eam, quam agnoscis esse perfectiorem. Quod si dubitas vel nescis, utra sit perfectior, eligendi illam, quae est similior Christo pro te humiliato, neglecto, irriso, occiso etc., juxta tertium modum seu gradum humilitatis a S. P. N. Ignatio traditum in secunda hebdomada exercitiorum.

*) Ita V. P. Lanc. Sed auctores plurimi, qui de Rubricis scite scripserunt, negant praeparationis loco hic aliquos actus eliciendos esse; hoc nixi fundamento, quod nulli actus privatae devotionis debeant permisceri cum publicis religionis actibus, nisi ubi permittuntur. In Rubricis vero meditatio praescribitur tantum post communionem, non ante. Vide *Merati*, in *Rub. Miss.* p. II, tit. X, 4.

[1]) Scal. parad. grad. XXVI. col. 376.

CAPUT XIX.

Quid faciendum post cotiduanam recollectionem pro executione constanti bonorum propositorum in ea factorum.

Porro ut compendio scias, quo modo et ordine post absoluta exercitia procedere debeas, ut bona proposita exequaris, et non redeas ad pristinam tepiditatem et defectus, haec facienda sunt:

Primo post exercitia die communica accepta licentia, et eam communionem offer divinae Majestati in gratiarum actionem pro iis, quae facienda et vitanda agnovisti tempore exercitiorum, et ad impetranda efficacia divinae gratiae auxilia, quibus fretus deinceps vivas juxta bona proposita a te in exercitiis facta, et ne cedas ullis tentationibus internis, et ne impedimentis externis retraharis a bene inchoata vivendi ratione. Accepto deinde sanctissimo Sacramento, postquam solitas devotiones cum Christo Domino peregeris, offer in unione meritorum ejus ei tua proposita, gratias age pro eis factis, pete gratiam constanter ea exequendi semper in occasione omni.

Postea adeas Superiorem tuum, vel confessarium tuum, si Superiorem nullum habes, eique praecipua proposita a te facta communica, tum propter alia, tum ut notitia tuorum propositorum Superiori vel confessario communicatorum sit fraenum quoddam, quo retinearis, ne in defectus priores relabaris, et

sit calcar, quo exstimuleris ad constantem eorum executionem, saltem metu et pudore adactus, ne tibi exprobret Superior vel confessarius inconstantiam in bene coeptis: nam et talibus motivis secundario te juvare debes, quae apud tirones et imperfectos saepe majorem vim habent, quam alia motiva pure supernaturalia et praestantiora.

Ideo hanc ipsam ob causam Sancti veteres [1]) instituerunt manifestationem propriorum peccatorum Superioribus et Patribus spiritualibus faciendam, et Christus Dominus procul dubio etiam hanc ob causam instituit auricularem confessionem.

Si habuisti aliquos socios, qui tibi antea erant vel causa vel occasio libere vivendi, vel non vivendi spirituali modo, in primo cum eis congressu manifeste te iis declara, quod te resolveris ad mutandam pristinam vivendi irreligiose rationem. Hoc est S. Chrysostomi consilium: *Quid faciam, inquiet aliquis, adversus eos, qui necessitatem inducunt. Qualem necessitatem, o homo? Discant omnes, te omnia malle pati, quam legem Dei transgredi, et ab inferenda necessitate desistent* [2]). Sed si frigide coles virtutem et non ostendes generose, te nolle quidquam facere vel omittere cum transgressione alicujus divinae vel religiosae legis, semper claudicabis; e contrario vero, etsi displicebit exterius

[1]) *S. Anton.* Vit. Patrum l. III. n. 176; et vitae ipsius c. XXVIII; *S. Basil.* Reg. fus. tr. interr. XV. n. 3. et interr. XLIV. n. 1; *S. Joan. Clim.* grad. IV. col. 68. *S. Bonav.* de sex alis c. VII. [2]) Ad pop. antioch. hom. VII. fin.

discolis vel imperfectis tua constantia, in animo tamen eorum, postquam ad se redierint, laudabere et admirationi eris. *Est enim virtus*, inquit S. Chrysostomus, *per seipsam admirabilis. Quod si quis illam in medio prohibentium colat, multo admirabiliorem ipsam ostendit. Propterea divina Scriptura quasi admirando justum dicit de illo, in medio illorum, qui indignationem Dei experturi erant versante:* Noe autem invenit gratiam coram Domino Deo.... *ut nos doceat, ipsum unum habuisse scopum, ut ab illo oculo laudaretur, qui dormitare sopirique nescit, nihilque curavisse humanam gloriam, vel ignominiam, vel irrisionem. Verisimile enim est eum, cum praeter morem omnium virtutem coleret, fuisse subsannatum et irrisum ab omnibus nequitiam sectantibus, qui consueverant eos qui illam vitarent, et virtutem amplexarentur, irridere; id quoque et nunc saepe fieri solet. Videmusque segnes multos, qui risum et subsannationem ferre nequeunt, sed praeferunt humanam gloriam verae et immortali, abstracti et allecti ab aliorum hominum malitia. Animae enim fortis et constantis est, posse obsistere iis qui avellere moliuntur, et nihil facere ut hominibus placeat: sed oculum suum intendere ad illum insopitum oculum, et ab eo solum gloriam exspectare, istorumque gloriam despicere, nulliusque pili facere humanam laudem vel convicia, sed ea praetermittere ut umbras et somnia* [1]). Valet ad hoc propositum ethnici Dionis

[1]) In. c. VI. Gen. hom. XXIII. n. 2.

monitum datum contra incommoda, quae vocat antagonistas virtutum. Nam et ii, qui retrahunt sive malis exemplis, sive malis consiliis a perfecta vivendi et Deo serviendi ratione, sunt antagonistae virtutis, cum quibus ita procedendum est, uti suadet Dio: »Sane videntur quidem hi antagonistae graves et intolerabiles ignavis omnibus; si quis autem eos contempserit, audacterque accesserit, videbit eos timidos et invalidos ad vincendum viros fortes: sicuti res habet etiam cum canibus: (— apta comparatio antagonistarum virtutis et religiosae disciplinae cum canibus, qui sicut innocentes, ita illi perfectius viventes allatrare et mordere solent —) illi enim fugientes insequuntur et mordent dilacerantque quos apprehendunt; invadentes autem et pugnantes timent, et recedunt ab eis. Denique si quae contracta fuerit notitia, eis adulantur. Porro multi homines attoniti judicant eos esse graves, semperque fugiunt, nunquam ex adverso audentes eos intueri. Etenim quemadmodum qui pugilum noverunt artem, siquidem praeoccupent adversarium, non cessant pugnis urgere, saepe etiam ipsi ita invadentes dejiciunt; si vero recedant timentes, tunc fortissimas plagas recipiunt; ita si quis labores excipiat contemnens, illisque alacriter appropinquet, nihil adversus eum valent; sin vero desistat et decedat, (— a recta vivendi ratione ob humanum metum vel respectum —) longe graviores vehementioresque videntur. Idem videris fieri etiam cum igne: nam si vehementer invadas, exstinxeris ignem; sin vero suspectans et refromidans, vehementer ureris:

quemadmodum pueri interdum ludentes lingua exstinguunt ignem« [1]). Induant volentes religiose vivere nec flecti sermonibus discolorum animum Senecae, qui sic scribit: »Nihil magis, inquit ille Socrates.... persuasi mihi, quam ne ad opiniones vestras actum vitae meae flecterem. Solita conferte undique verba: non conviciari vos putabo, sed vagire velut infantes miserrimos« [2]). Verum satis tibi non erit, imperfectis non cedere; sed, si poteris, hoc ipsum coneris persuadere talibus, ea adferendo in medium, quae te moverunt in exercitiis ad inchoandum religiosiorem vivendi modum. Proderit etiam clare talibus dicere, te declinaturum eorum conversationem omnem, si deinceps voluerint tibi esse causa vel occasio non vivendi spiritualiter. Adde etiam minas, — si priora non erunt satis — te ad opem Superiorum vel confessariorum recursurum contra eos, si te in spirituali vivendi ratione, uti antea fecerant, impedire perrexerint. Alioqui, ni te iis hoc modo declares, redibis ad priorem tepiditatem. Satius est eos semel offendere, quam deinceps — ut dicitur, ululando cum lupis — saepius et quotidie offendere Deum propter humanos respectus et misera solatiola. *Perfecte bonus non est,* inquit S. Gregorius Papa, *nisi qui fuerit et cum malis bonus* [3]). Et ut alibi ait: *Non valde laudabile est bonum esse cum bonis, sed bonum esse cum malis. Sicut enim gravioris culpae est, inter bonos bonum non esse: ita immensi est*

[1]) Or. VIII. pag. 133. sq. [2]) De vita beata c. XXVI. §. 4. [3]) In Ezech. l. I. hom. IX. n. 22.

praeconii, bonum etiam inter malos extitissse [1]). Quocirca clare loquere talibus, te velle deinceps meliorem inchoare vivendi rationem; noli minas aliorum metuere. »*Vae praegnantibus et lactentibus in illis diebus*«, *ait Dominus (Matth. XXIV, 19)*, inquit S. Isidorus Pelusiota, *ad eas animas, quae divinum amorem velut utero adhuc gerunt, nec verborum libertate ac fiducia uti, Deique confessionem, acremque pro ea contentionem ac dimicationem parere audent.... nec praemiorum spem sibi proponunt, verum minis aut insultibus fractae sunt ac futuris rebus spoliatae* [2]), scilicet merito et corona gloriae futurae. Habeas vero menti tuae alte impressum illud S. Bernardi monitum datum Fulconi puero: *Inde laetandum in adolescentia, unde in senectute non poeniteat* [3]).

In prima recreatione post exercitia facienda cum tuis aequalibus, statim inchoa sermonem de rebus spiritualibus. Talis enim esse debet nostrorum sermonum materia, ne confundamur ab ethnico Socrate, qui dixit in Apologia, »esse homini hoc maximum bonum, singulo quoque die de virtute habere sermonem.« *Nam hoc veri amoris natura facit*, inquit S. Chrysostomus, *ut ii qui nobis cari sunt semper in ore nostro ac lingua versentur* [4]). Quod tanto magis curae esse debet nobis, qui in schola virtutum versamur; quia, ut scribit S. Isid. Pelusiota: *Optimae narrationes in nobis virtutum subsidia excitare solent* [5]).

---

[1]) Moral. l. I. c. 1. [2]) L. I. epist. 211. [3]) Epist. II. exord. [4]) Epist. CXX. [5]) L. II. epist. 167.

Sed etiam ethnici id commendarunt. Epictetus: »Majori, inquit, ex parte silentium praestetur: aut necessaria dicantur, eaque paucis.... Sed non quidvis dicemus: non de gladiatoribus, non de ludis circensibus, non de pugilibus, non de cibis aut potionibus, quae res passim inculcantur« [1]). Quae verba explicans Simplicius eos plane sermones deposcit, qui religiosum deceant: »Vult, inquit, Epictetus, ut de rebus necessariis sermo habeatur, sive ad virtutem adhortando, sive docendo, sive consulendo, sive consolando, sive de veritate naturaque rerum inquirendo et disputando, sive Dei excellentiam et providentiam celebrando, et auxilium ad degendam vitam naturae congruentem votis exposcendo. Non autem de rebus vulgaribus, de quibus verba fieri plerumque solent. Neque igitur de compositionibus gladiatorum, neque de ludis circensibus aut aliis: neque de cupediis et poculis, quibus ille vel ille utatur. Nam qui sermones hujuscemodi de rebus habentur, cogitationem etiam illis affigunt. Est et cum appetitum attrahunt, et vitam sibi conformem faciunt.« Sic et Plato apud Philonem [2]), per os nostrum dixit intrare mortalia, exire vero immortalia, hoc est, intrare cibos paulo post corrumpendos, exire autem sermones dignos immortalitate; quales non sunt, qui de rebus inanibus instituuntur. Qui si forte ab aliis introducantur, monet ibidem Epictetus, ut eos curemus exscindere, vel si id fieri nequeat ob auctoritatem loquentis, aliamve ob causam alio sermonem divertere non

[1]) Enchirid. c. 41. [2]) L. de mundi opificio.

liceat vel non deceat, silentium saltem interponendum. Potest autem in prima post finita exercitia recreatione prima sermonum esse materia praestantia exercitiorum et quam efficax medium S. Ignatius tradiderit hanc octiduanam collectionem, in qua homo agnoscit se, suos defectus, eorum gravitatem, suam obligationem vivendi perfecte et his similia.

Hoc praemisso veluti praeludio, discurre de caecitate tua et multorum, qui, cum possint vivere perfecte Christi vitae se conformando, contrario modo vivunt etc., et quam sit hoc detestandum et quas ob causas etc.; pro qua re suppeditabunt tibi materiam loquendi, tum ea quae in exercitiis ex Dei lumine agnovisti, tum quae legisti, tum multa ex iis quae supra in hoc opusculo scripta sunt. Quod ut facias generosius, vide, ne et tibi aptari possit illud S. Eliae Prophetae monitum populo idololatria seducto a vero Dei cultu antea amato datum: *Usquequo claudicatis in duas partes?* [volendo scilicet placere Deo et imperfectis]. *Si Dominus est Deus, sequimini eum* [1]).

Porro in ordinariis quotidianis recreationibus hi m o d i esse possunt eas bene instituendi:

I°. Ex audita lectione ad mensam vel concione aliquid adducere in medium pulchre vel pie dictum aut factum, et circa hoc discurrendum. Si tempus adhuc suppetat:

II°. Adduc in medium, quod heri vel hodie legisti in tuo libro spirituali, et circa hoc discurre.

---

[1]) III. Reg. XVIII, 21.

Idem si socii fecerint, non deerit larga materia piorum discursuum. Hanc rationem tenebant instituendi pia colloquia fratres nostri in Collegio Romano cum S. Aloysio Gonzaga. Nam, ut scribitur in hujus vita: Per longiores vacationum ferias, quae Septembrem et Octobrem tenent, fratres, ad vires a contentione studiorum confirmandas, missi in Tusculanum,.... bona Praesidum venia, alius libellum de imitatione Christi, alius S. Francisci, alius S. Catharinae Senensis, alius B. P. Ignatii vitam secum afferebat, nonnemo Annales familiae S. Dominici, alius S. Francisci in manus sumebat; erat quem Confessiones ac Soliloquia S. Augustini, item quem Sermones S. Bernardi in Cantica delectarent: quidam, qui majores in cognitione divinarum rerum progressus habebant, res gestas B. Catharinae Genuensis non mediocri cum voluptate volvebant: alii, quorum animus ad sui ipsorum despicientiam magis inclinabat, in praeclaris beatorum vivorum Jacoponi et Joannis Columbini facinoribus lectitandis multi erant. Horum aliorumque librorum lectione imbuti prima luce primaque vespera, bini ternive, in vicinos colles corpora exercitatum exibant; atque interea, quae legissent, inter se narrabant. Interdum vero decem aut duodecim forte coeuntes, in silvis ac nemoribus ad pie colloquendum considebant, tanta jucunditate, fervore, sensuque pietatis, ut coelestes Angelos referre viderentur [1]).

[1]) Act. Sanct. Boll. t. XXV. ad 21 Jun. Vit. a Virg. Cepar. l. II. c. VIII. n. 205.

III°. Si modo unus, modo alter proponat sociis per modum quaerendi consilii: Quid vobis videtur faciendum hac vel illa in re, etc. eo modo, quo olim apud Cassianum, et nunc in sodalitatibus nostrae curae commissis, et apud nos in novitiatu nostro proponuntur dubia in conferentiis solvenda. Talem consuetudinem habuit S. Gregorius, Episcopus Nyssenus, frater natu major S. Basilii Magni. Nam in epistola ad Harmonium, in qua describit, quid nomen et professio christianorum sibi velit, sic scribit: *Meministi, sat scio, quod semper argumenta sermonum, quibus inter nos uti solebamus, meditationes virtutis erant, et ad Dei cultum atque pietatem exercitationes: cum tu quidem praeceptoris ac magistri more semper iis, quae dicebantur, ex adverso subjiceres et opponeres, nihilque quod diceretur absque excussione atque examinatione admitteres; nos vero qui aetate praecederemus, quae per consequentiam sermonis identidem requirerentur, dissolveremus* [1]). Et talem colloquendi modum statim ait, *plectri in modum ab alterius prudentia nostram vetustam citharam suscitantis.*

IV°. Exstat longus catalogus variarum materiarum pro recreatione propositarum a P. Hieronymo Natali factus et approbatus a Congregatione sexta et septima generali, et quotannis in refectorio legi solet; ex eo petendae sunt materiae nostrorum sermonum. Atque haec dicta sint de quotidianis recreationibus; nam in hebdomadariis, quae toto die

[1]) De profess. christ. exord.

vel medio, feria quarta aut quinta, institui in Societate solent post horam a recreatione pomeridiana exactam, possunt haberi colloquia de rebus indifferentibus, utilibus tamen, proponendo quaestiones et problemata similia iis, quae proponit noster Laurentius Forerus: »1°. Cur homines, qui raros dentes habent, sunt majori ex parte brevioris vitae? — 2°. Cur caput humanum magis pilosum sit reliquo corpore, non perinde animalium? — 3°. Cur equis et asinis e circatricibus oriantur pili, non autem hominibus? — 4°. Cur lingua nulli animali sit pinguis? — 5°. Cur ebrii ad lacrymandum sint faciliores? — 6°. Cur pili in cute horroris tempore erigantur? — 7°. Cur sessio alios pinguefaciat, alios extenuet?« [1]).

Simili modo possunt esse materia piorum in recreatione sermonum, si singuli adferant causas et explicationes aliquarum sententiarum argutarum, quae in sacris vel profanis authoribus leguntur. Talis sententia est S. Paulini: Esto Peripateticus Deo, Pythagoraeus mundo. Et Philonis lib. de sanct. Abel: Virtus caret tempore. Et Senecae: Id bonum cura, quod vetustate fit melius [2]). Eeodem modo circa encomia vel epitheta Dei, Christi Domini, beatissimae Virginis Mariae, aliorum Sanctorum, breves discursus institui pie possunt. Cur Deus vocetur Deus Abraham, Isaac et Jacob? cur Christus dicatur sol justitiae? cur sanctissima Maria domus aurea,

[1]) Virid. philos. in principio. [2]) Epist. XV. §. 5.

stella maris, turris eburnea, foederis arca, et aliis titulis in litaniis cur insignitur? S. Joannes Baptista cur vox clamantis appellatus, cur dicitur venturus in spiritu Eliae? Sic illud Senecae: Malae naturae nunquam ductore indigent; et alibi: Desines timere, si sperare desieris [1]); et illud S. Dorothei: Da sanguinem, et accipe spiritum [2]).

Sed hic advertendum est, ut hi discursus sine ulla contentione fiant et vana ostentatione ingenii, sed cum facili laudatione eorum, quae a sociis dicta fuerint, aliena a rixis et contradictione. Quae dum excitabitur ab aliquo, sequere consilium Ovidii: »Cede repugnanti, cedendo victor abibis« [3]); uti fecerunt et suaserunt etiam ethnici: »Plerique, homines temerarii, inquit Epictetus (— quem S. Augustinus [4]) appellat nobilissimum Stoicum —) apud Arrianum [5]), cum in hoc certamen [disserendi] descenderint, exagitant et exagitantur, ac demum conviciis dictis et auditis discedunt. Illud autem et primum et maxime proprium fuit Socratis, ne unquam in disserendo ira commoveretur, neque unquam ullum contumeliosum dictum proferret aut convicium, sed conviciatores toleraret, ac repugnantes tolleret.« Turpe esset ab ethnico homine christianum et religiosum vinci, cui cordi esse debet illud monitum Abbatis Josephi apud Cassianum: *Sciendum sane generaliter, illum*

---

[1]) Epist. V. §. 6. [2]) Doctr. IX. n. 1. [3]) L. II. de arte. [4]) De civ. Dei l. IX. c. 5. [5]) Comment. de Epict. disput. l. II. c. 12.

partes agere fortiores, qui voluntati fratris suam subjicit voluntatem, quam eum, qui in defendendis suis definitionibus ac tenendis pertinacior invenitur. Ille enim sustentans ac tolerans proximum, sani ac validi, hic autem infirmi et quodammodo aegrotantis obtinet locum, quem ita palpari necesse est ac foveri interdum, ut etiam a rebus necessariis pro ejus quiete ac pace salubre sit aliquid relaxari [1]).

Quod si ante recreationis tempus obtulerit se occasio hoc modo te declarandi talibus tuis sociis, declara te etiam tempore silentii: quia erit locutio necessaria, qua hic et nunc non violabitur regula silentii, et erit talis allocutio conformis menti Superiorum et S. Patris nostri Fundatoris.

Ex altera parte cum iis conversari stude, uti supra [2]) dictum est et Sancti suadent, quorum conversatione et exemplis accendaris ad studium virtutum majus ac majus et ad executionem constantem bonorum propositorum in exercitiis factorum. »Sicut enim hoc corpus, inquit S. Chrysostomus, quotidie corporalis indiget nutrimenti, ne multum cadens in imbecillitatem inefficax jaceat: itidem et anima spiritualis indiget pabuli optimae conversationis, ut in aliqua bonorum consuetudine posita maligni demum insidiis constituatur inexpugnabilis.« Ideo S. P. N. Ignatius magnum voluit haberi a suis delectum in conversatione, habuitque in more,

[1]) Collat. XVI. c. 23. [2]) Cap. VIII. sub. V⁰. pag. 125.

schedis datis, nominare eos domesticos, a quorum conversatione abstinere debebant, etsi ii nec tentati essent, nec scandalosi. Quod ipse indicat clare III. parte Constitut. c. I. §. 3. Sciebat enim verum esse id, quod scribit M. Tullius: »Vivitur non cum perfectis hominibus planeque sapientibus, sed cum iis, in quibus praeclare agitur, si sunt simulacra virtutis« [1]). Simulacrum virtutis est, qui in speciem religiosis, non sanctis moribus et observatione exacta regularum ornatus est, sed tantum habitu et votis religiosis, vel statu sacerdotali a congruentibus illi moribus non insignito.

Quocirca S. Carolus Boromaeus, Oblatos S. Ambrosii instruens ad vitam sacerdotio dignam, inter alia praescripsit haec: »Vitent diligentissime, ne quemquam diligant singulari prae ceteris amoris affectu, qui ut plurimum inordinatus esse solet; sed aequali omnes, pro singulorum ratione et statu, charitate prosequantur; illorum tamen familiari potius ac saepius utentes consuetudine, ex quibus cumulatiorem percipere spiritualem utilitatem possint« [2]). Nunquam autem haec spiritualis utilitas sperari potest ex conversatione cum iis, qui sciuntur palam et ordinarie leviter conversari, atque de nugis et facetiis et materiis spirituali statui non accommodatis ridicule sermones instituere. Non parvum est hac in re periculum. *Hic animum adhibe:* inquit S. Chrysostomus, *risit quis intempestive, alius*

---

[1]) De offic. l. I. c. 15. §. 46. [2]) Instit. l. III. c. 1. fin.

reprehendit; alius metum repulit dicens: Nihil hoc est. Quid enim est ridere? quid hinc mali oriatur? Hinc scurrilitas oritur, inde turpiloquium, et actio turpis [1]).

Quocirca etiam ethnici non nisi inter bonos et in virtute vera solidos solidam esse posse amicitiam existimabant. Plato apud Apulejum [2]), Epictetus [3]) et alii Stoici apud Clementem Alexandrinum [4]) et Lipsium [5]), et Aristoteles [6]). Quapropter S. Basilius, omnium judicio praestantissimus vitae spiritualis, praesertim religiosae, magister: *Sermo*, inquit, *inutilis et inepta mentis avocatio ex mutuo colloquio orta, sint interdicta. Sed si quid animarum aedificationi conducit, de eo duntaxat instituendus est sermo: immo vero ea ipsa quae utilia fuerint, modeste et tempore congruenti ab iis, quibus sit loquendi facultas, dicenda sunt* [7]). Sane non est magnum, si religiosi vitae spiritualis cultores de rebus spiritualibus piisque loquantur, cum tales olim etiam saecularium christianorum fuerint sermones et quidem in conviviis illorum, teste Tertulliano. *Ita*, inquit, *fabulantur, ut qui sciant Dominum audire* [8]). »Sermonibus pascendi sunt honesti animi, inquit Tyrius, non forensibus tamen. Quibus ergo? Qui ad superiorum cogitationem temporum eos revocent, resque jam olim gestas spectandas pro-

[1]) In Matth. hom. LXXXVI. al. LXXXVII. n. 3. [2]) L. de philos. [3]) Disp. l. II. c. 22. [4]) Strom. l. II. c. 9. [5]) Manud. III. dissert. 16. [6]) Ethic. l. VIII. cc. 3. & 4. [7]) Serm. ascet. II. n. 2. [8]) Apolog. c. 39.

ponant« [1]). Certe Superiore audiente non auderes ea dicere, quae soles; quomodo autem audes, Deo melius audiente? quomodo talia libentius audis, quae scis et Superioribus et Deo displicere? Praesertim, cum materia talium sermonum audita ipsi noceat communitati. Hinc Demosthenes, lumine naturae edoctus, cupiens induci optimum civitatis statum, hoc remedium proposuit. »Oportet, Athenienses, ut is, qui de civitate nostra bene mereri cupit, auribus primum vestris medeatur. Corruptae enim sunt. Adeo multa et falsa [per multiloquium inane] et quaevis [sine ullo delectu, prout in buccam veniunt] potius audire, quam salutaria consuefacti estis« [2]). Merito hac de re tanquam communitati noxia sollicitus erat Demosthenes. Verus enim est ille Menandri senarius, teste S. Hieronymo ab Apostolo quoque usurpatus: *Corrumpunt bonos mores colloquia mala* [3]).

Et ita in domiciliis religiosorum ex non spiritualibus sermonibus, sed levibus et dissolutis sequi solet vita non spiritualis et dissoluta. Quod quotidiana ubique experientia confirmat. *Nam sermonibus pravis assuescere,* inquit S. Basilius, *quaedam via est ad ipsa facta* [4]). Sicut vice versa ex non spiritualibus et irreligiosis moribus sermo procedit non spiritualis et irreligiosus. Dictio enim nostra est index animi, uti SS. Patres et ethnici docent, sed magis Christus Dominus, qui ait: *Ex*

[1]) Dissert. XXVIII. [2]) Or. de republ. ordinanda, med. [3]) I. Cor. XV, 33. [4]) Serm. de legendis libr. gentil. n. 2.

abundantia cordis os loquitur [1]). Et S. Joannes Baptista: *Qui de terra est....de terra loquitur* [2]). *Mali*, inquit S. Augustinus, *malas habent linguas; id est, mala loquuntur, cum loquuntur dolum. Quibus Dominus dicit: »Quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali« (Math. XII, 34)?* [3]) et Clemens Alexandrinus: »Qualis sermo, talis est vita.« Si vis ergo conservare et augere bona proposita et exequi illa, ama colloquia spiritualia, et cum talibus conversare; noli erubescere loqui de iis, ob quae reliquisti mundum et statum spiritualem amplexus es; concordet lingua cum tuo habitu et statu; declara te spiritualium rerum sectatorem materia sermonis spirituali; exprime ore tuo praeclarum S. Chrysostomi dictum: »Nos ita loquendo sicut Apostoli noti fiamus, loquendo sicut Angeli.« Immo si loquemur de piis rebus, erimus quodammodo os ipsius Dei. Qua de re audiendus est discursus nobilis S. Joannis Chrysostomi, vere aureo ore hac ipsa de re disserentis in alio loco. *Nuper dicebam, linguam nostram esse manum, quae pedes Dei attingat: nunc vero plus dico, linguam nostram Christi linguam imitari, si diligenter studeat ea, quae ipse nos vult, loqui. Quae vero sunt illa? Verba modestiae mansuetudinisque plena, ut ipse loquebatur.... Si tu sic loquaris, si ad emendationem proximi, linguam habes illi similem. Haec ipse Deus dicit: »Qui educit pretio-*

---

[1]) Matth. XII, 34. [2]) Joan. III, 31. [3]) Enarr. in Ps. V. n. 12.

sum a vili, sicut os meum erit.« (Jer. XV, 19). Cum ergo lingua tua linguae Christi similis fuerit, et os tuum sicut os Patris, et Spiritus sancti templum fueris, quis honor huic par esse possit? Non si ex auro factum os haberes, non si ex lapidibus pretiosis, ita fulgeret, ut cum modestiae ornatu conspicuum est. Quid enim optabilius ore quod nescit contumelias proferre, sed benedicere solum studet? Quod si non potes benedicere maledicenti, tace: hocque interim facito, ulteriusque progressus, si ut decet coneris, ad illud pervenies, et os habebis, quale diximus. Ne putes audax esse dictum: benignus quippe Dominus est, et bonitatis ejus est donum hujusmodi. Audaciae esset, os habere diaboli ori simile, linguae daemonis maligni linguam habere similem, eum maxime qui talium mysteriorum consors sit, et ipsius dominicae carnis particeps. Haec tecum reputans, ipsum pro viribus imitare.... Dedit tibi Christus potestatem, ut pro viribus ipsi similis efficiaris. Ne timeas hoc audiens. Timendum potius, ne non similis ipsi fias. Loquere ergo ut ille, et in hoc eris similis illi, ut esse potest homo. Ideo major est, qui sic loquitur, quam qui prophetat. Illud enim ex gratia totum est: hic vero etiam labor sudorque tuus. Doce animam tuam, ut os tuum sic efformet, ut sit Christi ori simile.... Non ita libenter prophetarum ora osculatur, ut modestorum mansuetorumque hominum [1]). Eorum nimirum, qui alienos

[1]) In Matth. hom. LXXVIII. al. LXXIX. n. 3. 4.

mores lingua maledica non denigrant, sed etiam certos et notos aliorum defectus excusatione pia et bona interpretatione tegunt. Ideo forte scripsit Clemens Alexandrinus: »Dictionem nostram esse debere tanquam vestem in corpore«[1]). Nimirum, ut quemadmodum vestis tegit et occultat membra, quae sine pudore et confusione detegi et aspici nequeunt ab honestis oculis: ita sermone nostro vera et certa vitia aliorum tegantur et occultentur, quin potius ornentur laudibus, sicut vestis praeter integumentum et defensionem corporis ab aëris injuriis, nocturnis et diurnis, etiam illud ornare solet.

Ceterum in conversatione cum domesticis vitanda est, tum frequentior longe cum uno quam cum aliis aeque bonis conversatio, tum communicatio secretorum, quae soli Deo et Patri spirituali ac Superiori reservanda est; vix aliquid notabile et rarum etiam bonis sociis manifestandum, ad te spectans, quamdiu es in classe incipientium et proficientium; solis id concedi potest, qui et aetate et diuturno virtutum studio post sacerdotium susceptum transgressi sunt ordinaria studia bonorum. Nec enim in exemplum trahenda sunt aliquorum Sanctorum facta contraria, quos sicut notabili sanctimonia insignivit Deus, ita quandoque praeter communem procedendi modum, salvis essentialibus et communibus viis, veluti per semitas non cuivis pervias duxit ad fastigia rara virtutum.

Vehementer quoque proderit, quolibet mense,

---

[1]) Strom. l. I. c. 10.

et quidem — ne pia haec consuetudo e memoria excidat — primo die mensis, totam meditationem instituere circa bona proposita praecipua in exercitiis et alias facta, repraesentando ea Deo et renovando instar renovationis votorum, et videndo, quomodo ea serves, et acriter incusando te coram Deo, si aliquod non servasti, et motiva ad ea exequenda sive vetera, sive nova ponderando, et invocando divinam opem ardenter pro eorum constanti executione in posterum.

In colloquiis quoque menstruis cum Patre spirituali proderit ei manifestare, quomodo te geras in executione bonorum propositorum.

Valde etiam prodest, si constituas socios probos morum tuorum censores, ut te moneant. Id suadebat S. Ignatius; et S. Chrysostomus inquit: *Quia tanta est consuetudinis tyrannis, eam in aliam transfer consuetudinem. Et quomodo, inquies, fieri potest? Quod saepe dixi, hoc et nunc dico: Sint emendatores dictorum multi, sint inquisitores et correctores. Non pudor est ab aliis corrigi; imo pudor est repellere corrigentes, et in propriae salutis damnum hoc facere. Et tu quidem si vestem induas inversam, permittis te a puero admoneri; nec pudet te ab illo discere, quamvis hac in re magnus sit pudor: hic autem in anima laesus, te pudet ab alio erudiri? et servum fers te circa vestem ornantem et calceantem, cum autem qui animam tuam ornat non sustines? Et quantae hoc non insipientiae fuerit! Sit et servus doctor, sit amicus, cognatus, vicinus. Sicut enim fera, quae*

undique pellitur, non potest effugere: sic is, qui tot habet custodes, tot correctores, qui undique feriant, non potest non sibi cavere [1]). Haec Chrysostomus. Quin etiam ethnici id suadebant, et in more habebant. Hinc Plautus:

Call. Sed tu ex amicis certis mihi es certissimus,
Si quid scis me fecisse inscite aut improbe,
Si id non me accusas, tute objurgandus es.
Meg. Scio. [2]).

Maximus Tyrius: »Amicus, inquit, id quod bonum putat, sive id dolorem postea, sive voluptatem adferat, cum amico communicat et ex aequo fruitur: adulator ex praescripto libidinis suae, quidquid cum amico agit, ad lucrum suum dirigit« [3]). *Non est,* inquit S. Hilarius, *opprobrium adversus proximos ineundum: sed si quid in iis incuriosum, si quid petulans, si quid negligens, si quid incontinens deprehenditur, sine exprobrationis amaritudine, blandimento emendationis est corrigendum* [4]). Plutarchus quoque lib. de ira cohibenda: »Qui, inquit, salvus esse debeat, opus habet vel probis amicis, vel inimicis vehementissimis: quia illi admonendo peccantes, hi criminando, a vitiis avertunt.«

Quotidianum autem pro hac re et efficacissimum remedium erit et auxilium, si dum in meditatione te senseris excitatum ad aliquid praeclarum pro Deo praestandum, revocatis in memoriam, saltem breviter, propositis praecipuis, statuas te velle eorum

---

[1]) In Act. hom. X. fin. [2]) In Trinummo vv. 94—96. [3]) Dissert. XX. c. 6. [4]) Tr. in Ps. XIV. n. 11.

executione constantius demonstrare tuam erga Deum fidelitatem in obsequio ejus. In ea enim includuntur omnia illa, quae Deus a nobis exigit, et quae Deo debemus ob tot beneficia et ob alias causas, — etiam citra respectum beneficiorum — exigentes a nobis, ut omnia possibilia nostro statui et vivendi modo non repugnantia faciamus pro Deo, et omnia mala toleremus, et omnia mala ac quasvis imperfectiones vitemus, semperque de bono in melius, bene utendo divinae gratiae auxiliis, progrediamur, retinentes et augentes in nobis piis considerationibus et lectione librorum spiritualium ac colloquiis religiosis insatiabilem esuriem et sitim omnis justitiae et sanctitatis; quae si diu durabit, certo introducet eximia Dei dona. *Dominus enim noster*, inquit S. Chrysostomus, *si viderit animam vigilem et desiderium fervens, et ipse suas divitias largiter, ultra etiam quam petitum sit, suppeditat pro sua magnificentia* [1]) Exequamur ergo constanter bona proposita pro Deo, uti solent mundani pro mundo, et ut monet S. Laurentius Justinianus: *Pudeat servos Dei saecularium animositatis, infatigabilium mentis sollicitudinum, laborum pene intolerabilium, famis, discursus, vigiliarum, inquietudinumque. Convincunt profecto teporem eorum, qui Christo Domino militare videntur. Consurgent in judicio cum generatione nostra et condemnabunt eam, quemadmodum Austri regina progeniem Hebraeorum.... Nonne innata clamat ratio, et usus docet,*

[1]) In c. I. Gen. hom. X. n. 1.

ut tanto sollicitius res unaquaeque quaeratur, quanto pluris esse deprehenditur? Aurum videmus praeponi argento, argentum plumbo, plumbum luto, gemmamque marmoreis saxis. Et haec unde? nisi quia pluris aestimantur? Cur autem in spiritualibus et praestantioribus eadem fieri non videmus? Quare coelum plus, quam terra, non diligitur? Deus magis, quam creatura, non amatur? invisibilia et aeterna amplius, quam visibilia et temporalia? Sic caeci effecti sunt homines; sic sensum everterunt proprium, ut sine discretionis judicio praeponant magnis parva, spiritualibus carnalia, atque caduca coelestibus; quodque deterius est, volunt absque exercitationis promptitudine aeternam obtinere mercedem. Talis quidem abusio mundi sectatoribus facile indulgetur, quando, qui divino se cultui manciparunt, hanc seguiter quaerant. Volunt quippe sine alicujus rei inopia esse pauperes, sine tribulatione patientes, obedientes sine proprii arbitrii abnegatione, gratia locupletes sine ulla suimet violentia, humiles sine opprobriis, virtutesque ceteras habere peroptant, ita tamen, ut, salva corporis sospitate et mentis jucunditate, nihil molestiae perferant.... O, si amoris urerentur incendio qui Christo deserviunt! o, si virtutum mente perciperent suavitatem, indicerent utique sibi ipsis, atque ex magnanimitatis libertate se erigerent contra se! Nequit verus amor otiosus esse, neque cor nobile jacere in imis, vel dormitare desidia. Desiderio fertur, proficiendique votis trahitur; se nihil arbitratur agere, quamvis magna per-

ficiat; semper est rigidus contra se, se dejicit, se insequitur, seque contemnendo custodit [1]). Haec pondera, an in te sint vide, fuge fugienda, corrige corrigenda, perfice perficienda, aggredere aggredienda, memor aeternitatis et Dei, hujus et illius propter solum Deum, qui tua omnia considerat, bene notat, suo tempore judicabit, et reddet unicuique juxta opera sua.

Porro ut bona proposita in tua collectione facta durent et in moribus nostris, tam internis animi quam externis corporis, demonstremus Deo amorem nostrum, qui est finis omnium nostrorum conatuum et status, juxta consilium S. Laurentii Justiniani datum procedendum est. *Quemadmodum*, inquit, *ut ardeat semper opportune fomentis nutriendus est ignis: ita ut perseveret in corde devotis orationibus virtuosisque operibus Christi excitandus est amor. Jugiter quippe meditandum est, Salvator noster quanta nos charitate dilexerit, qualia pro nobis pertulerit, quove nos dignatus sit redimere pretio. Hoc namque conversis fidelibus Apostolus Petrus insinuare volens dicebat: »Scientes quod non corruptibili auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternae traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni incontaminati et immaculati Christi« (I. Petr. I, 18). Et Paulus: »Empti, inquit, estis pretio magno, glorificate et portate Deum in corpore vestro.« (I. Cor. VI, 20)* [2]).

---

[1]) Serm. in fest. SS. Innoc. post exord. [2]) L. de obedient. c. V. sub. fin.

Quocirca, dum ad non servanda facta in exercitiis bona proposita senties te impelli ab amore alicujus rei vel personae, quae ante illa te impediebat in studio vitae perfectioris, oppone illi amorem Christi Jesu, tibi declaratum, tum passione et morte sua, tum tot perpetuis beneficiis, quae ab eo hactenus percepisti, percipis, percipiesque deinceps, quibus nullum aequale percipere potuisti aut poteris ab iis, ob quorum amorem Christi exemplis et vestigiis antea adhaerere noluisti, declinando et fugiendo opera virtutum. Sic dum metu alicujus mali vel crucis incitaberis ad violanda bona proposita, perpende, majora pro te mala tolerasse Jesum tuum, quam tu possis perpeti ab iis, in quorum gratiam antea regulas et internas inspirationes non servasti. Proinde resolve te ipso primo die, quo finem collectioni impones, ita loqui et procedere, ut in verbis et factis et necessariis omissionibus, rerum ex impulsu perfectionis omittendarum, re ipsa in te demonstres illud Apostoli: *Non erubesco Evangelium* [1]). Alioqui timere merito debes illud Christi Domini: *Qui me erubuerit et meos sermones* [quorum multos in corde tuo tempore exercitiorum audivisti] *hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua et Patris et sanctorum angelorum* [2]); et metuere debes illud Psalmi LII.: *Dissipavit ossa eorum qui hominibus placent: confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos. Timuit,* inquit S. Hilarius, *hujus prophetici dicti sententiam*

[1]) Rom. I, 16. [2]) Luc. IX, 26.

sanctus ille gentium doctor, dicens: »Ego si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.« (Gal. I, 10). Inutilis est humanae gratiae et irreligiosa sectatio. Namque Deo magis, quam in contumeliam Dei, hominibus est placendum: ut per divina instituta, et probitatem fidelis vitae innocentisque placeatur. Ceterum placere tantum hominibus velle, Deo est displicere [1]).

Claudam hoc punctum pulchra admonitione S. Laurentii Justiniani: *O Christi milites, et Deo famulantium universa agmina* [post absoluta exercitia] *pugnate viriliter, resistite fideliter* [passionibus universis, tentationibus daemonum, malis consiliis et exemplis non bonorum amicorum], *perseveranter state,* [in bonis propositis]; *nulla vos demulceat voluptas, nullus superet labor, tentatio nulla deterreat, iter vestrum non retardet adversarius, propositum vestrum non immutent minae, fidem vestram carnis non supplantet infirmitas; cursum vestrum terrenarum actionum non impediant vincula, magnanimitatemque vestram nulla prorsus frangat adversitas. Imitemini ducem vestrum, sequamini praeceptorem, saluberrimis ejus obtemperate monitis, votis annuite, exhortationibus assensum praebete; profectum utique vestrum quaerit, salutem concupiscit, renovationem exspectat; ut quemadmodum exhibuistis olim membra vestra servire iniquitati, ita nunc juxta apostolicam doctrinam, exhibeatis eadem servire justitiae in sanctificationem*

[1]) Tr. in Ps. LII. n. 15.

(Rom. VI, 19).... Oportet vos sectari....virtutes, quae elucent in capite et duce vestro, ab ipso etiam commendatae sunt vobis et praeceptae. Non est aequum, ut per aliud iter princeps gradiatur exercitus et per aliud milites, si tamen desiderant immortalitatis et gloriae coronam percipere, quam jam assecutus est dux, et suis commilitonibus pollicetur [1]).

Quoniam vero frequentius bona proposita in exercitiis facta non implentur ob sociorum non spiritualiter viventium conversationem et colloquia, si te aggredietur talis aliquis socius, armes te illis S. Bernardi verbis, quibus malum cujusdam nepotis avunculum describens, talem tuum socium describit: *Avunculus* [socius] *tuus quaerit animam tuam, qui jam perdidit suam. Verba oris ejus iniquitas et dolus.... Ecce in via qua ambules, abscondit laqueos, tetendit retia. Molliti sunt sermones ejus super oleum, et ipsi sunt jacula. Vide, fili mi, ne capiaris a labiis iniquis et a lingua dolosa. Configat carnes tuas divinus timor, ne te decipiat carnalis amor. Blanditur, sed sub lingua ejus labor et dolor.... Sperne blandimenta, contemne promissiones. Promittit magna, sed ego majora; offert plura, sed ego plurima. Dimittes ergo pro terrenis coelestia, pro temporalibus aeterna?* [2]). Nequaquam. Conforta te illis quoque Christi Domini verbis ad S. Brigittam prolatis: »Qui sunt Judaei, qui Lazarum resuscitatum [— quem imitantur qui in exercitiis et per exerci-

[1]) L. de humilit. c. XVIII. med. [2]) Epist. II. n. 6.

tia a prioribus defectibus se liberarunt, et veluti resurrexerunt Christi beneficio ad novam vitam —] quaerunt interficere? [malis consiliis vel exemplis volendo te ad pristinam reducere tepiditatem —] nisi illi, qui ex eo indignantur, quod melius his vivitis: qui sublimia didicerunt loqui et modica facere: qui favores hominum sequentes, tanto contemptibilius contemnunt facta praedecessorum suorum, quanto minus dignantur vera et altiora intelligere. Tales sunt multi, qui de virtutibus sciunt disputare, sed non eas vivendo virtuose servare. Ideo et eorum animae periclitantur, quia verba plurima sunt, et facta non apparent« [1]).

Quod si quaeres: Quo animo quis esse debeat erga socios imperfectos et non bene procedentes?

Respondeo: Imitandum esse hac in re S. Isidorum Pelusiotam, S. Chrysostomi discipulum, quem Evagrius scribit, angelorum vitam in terris duxisse, et spirantem quamdam imaginem perpetuo fuisse, tam vitae monasticae, quam divinae contemplationis [2]), et Theodosio Imperatore regnante, in magno honore fuisse; quem Nicephorus Callistus ait, in Pelusio monte monachis praefuisse, et jam inde ab adolescentia ita in monasticis laboribus desudasse, et ita carnem, animam arcanis sublimioribusque doctrinis foventem, macerasse, ut angelicam prorsus ageret vitam, et viva animataque monastici instituti et divinae contemplationis columna, et velut pri-

[1]) Revel. l. IV. c. 72. [2]) Hist. eccl. l. I. c. 15.

marium quoddam exemplum flagrantis aemulationis, doctrinaeque spiritualis esset [1]), et quidem Presbyter, ut scribit Suidas. Hic ergo tantus vir sic scripsit ad Theopemptum Episcopum: *Ego nec peccati expers sum, nec peccati expertes amicos quaero (non enim inveniam), verum eos quidem qui maximis virtutibus, ac paucis minimisque vitiis praediti sunt, in amicorum classem adscribo: eos autem, qui contra affecti sunt, nec numero, nec rursus abdico. Non, inquam, numero, ne coetui nostro calumniam efficiant (apud omnes enim hoc in consuetudine positum est, ut quemque ex iis, qui cum eo consuetudinem habent, judicent); non autem abdico, spem ipsis bonam reliquens. Illis enim et consiliariis et amicis utor: his autem non bellum infero, sed quam possum, pacem tribuo, apostolicam scilicet legem servare studens. »Si fieri potest, quantum in vobis est, pacem cum omnibus hominibus habentes« (Rom. XII, 18); eos autem moneo, ut a vitio absistant ac virtutem complectantur. Quod si ipsi consilium meum in odii atque inimicitiae occasionem traxerint, haud parvum moerorem (non quod inimicitiam mihi indixerint, sed quod nullam utilitatem acceperint) mihi accersent* [2]).

[1]) Hist. eccl. l. XIV. c. 53. [2]) L. III. epist. 285.

CAPUT XX.

De octiduana collectione eorum, qui sunt provecti in spiritu et conantur Deo servire perfecte et serio suo profectui in virtutibus attendunt.

Quae hactenus a me scripta sunt, pro juvandis praecipue iis scripta sunt, qui sunt veluti tyrones in saeculari statu et in religione non usquequaque perfecte, sed tepide viventes, et multis imperfectionibus laborantes, et qui adhuc in via purgativa versantur. Quia vero in Societate nostra, omnes quotannis, saltem per octo dies, ab aliis occupationibus secedere debent et se per exercitia spiritualia colligere, et inter eos inveniuntur valde multi valde ferventes in obsequio Dei, et serio perfectioni magnae acquirendae incumbentes, tam Sacerdotes quam non Sacerdotes, in eorum gratiam aliquid hoc capite adferam, proprie ad illos spectans, et ad alios, qui ex via purgativa excesserunt, et a defectibus tyronum se liberos Dei beneficio agnoscunt, et magnos in virtute fecisse progressus. His, inquam, tradam utilia monita, seu potius consilia ad octiduanam collectionem utiliter peragendam.

Imprimis, licet sit aliquis eximia virtute et aetate maturus, immo sanctissimus et perfectissimus, octiduanam collectionem inchoet a meditationibus pro prima hebdomada assignatis, uti praescribitur in Directorio exercitiorum [1]). Quod etiam S. P. Igna-

[1]) C. IX. n. 3; c. X. n. 4. 6; c. XI. n. 4.

tius annot. vigesima, initio libri Exercitiorum posita-monuit. Ei, inquit, qui fructum consequi spiritualem optat, quam possit maximum, tradenda sunt omnia exercitia eodem, quo procedunt, ordine. Cui doctrinae S. Patris innixa septima Congregatio gener. statuit, ut detur opera, ut annua Exercitia spiritualia VI. Canone Congreg. praescripta, exacte ab omnibus fiant....servata etiam in illis proportione methodoque, quibus integra exercitia fieri consuerunt [1]).

Quapropter inchoanda sunt exercitia a consideratione duplicis Finis, tum ejus, qui est communis omnibus christianis, tum illius, qui est proprius vitae religiosae, et nominatim nostrae Societatis vel alterius instituti et congregationis aut sodalitatis; in quorum finium consideratione suadeo quatuor horas primae diei exercitiorum impendere: quia, ut experientia patet, ex profunda penetratione finis hujus duplicis, immo et solius primi, dependet omnis nostrae vitae institutio et reformatio. Et hanc ob causam hoc exercitium a S. Patre appellatur Principium et Fundamentum. Principium quidem, quia sicut in philosophia conclusiones deducuntur ex certis principiis, ita resolutiones bene vivendi deducuntur ex punctis hujus exercitii. Finis enim ita se habet in operabilibus, sicut principium in speculativis; et scientia practica

[1]) Decr. XXV. §. 4.

suas conclusiones potissimum ex fine deducit; ex. gr.: ars fabricandi ex fine commodae habitationis deducit, quomodo sint aedificandi parietes domus. Fundamentum vero appellatur, quia quatuor doctrinae in hoc exercitio traditae sunt fundamentum aedificii spiritualis, supra quod tota aedificatio nostrae salutis et perfectionis fundatur, quam et Apostolus [1]) et SS. Patres [2]) aedificio cuidam compararunt.

Post finis considerationes sequi debet consideratio peccatorum, et in saeculo, et in religione commissorum, etiamsi nunc sanctissime viveres, has ob causas:

1°. Ob excitandum dolorem in te ob propria et aliena peccata. *Quanto electus quisque majori sanctitate praeeminet*, inquit S. Gregorius Papa, *tanto magis de his, sine quibus haec vita non ducitur, venialibus peccatis dolet* [3]), etiam de levissimis. »Anima, ut ait S. Diadochus, si ardorem ex cupiditate mundi collectum studiose restinxerit, etiam valde parva errata pro gravissimis ducens, lacrymas multas Deo offert.« Sic S. Paula, teste Hieronymo, *ita levia peccata plangebat, ut illam gravissimorum criminum crederes ream* [4]).

2°. Cur, ut ait S. Chrysostomus, *perpetuo peccatorum nostrorum memoriam retinere debemus? Non enim solum illa istiusmodi recordatione ex-*

[1]) I. Cor. III, 11. [2]) Citati c. XVIII. pag. 259. [3]) Expos. in Ps. poen. II. n. 7. [4]) Epist. CVIII. ad Eustoch. n. 15.

stinguimus, sed et inde erga omnes homines mitiores efficiemur, et Deo cum majori benevolentia inserviemus, ineffabilem ejus humanitatem ex istiusmodi memoria prospicientes [1]).

3°. Id adeo necessarium et utile est, ut etiamsi quis certo sciret, omnia prorsus esse sibi condonata a Deo peccata, adhuc de illis dolere deberet. Oportet, ex mente S. Chrysostomi, recordari nos priora delicta, etiam ea, pro quibus veniam consecuti sumus, ut intuentes ingentem molem debiti, quod nobis remisit Deus, et amplius eum diligere possimus, et verecundiam pudoremque concipere, atque ex his corde compungi, considerantes, quod nisi miseratio illius nobis subvenisset, tantum illud peccatorum pondus sine dubio in imis nos inferni suppliciis pressisset [2]). Sane David, Deo per prophetam Nathan revelante [3]), certo cognoverat sua sibi esse dimissa peccata, tamen, ut alibi observavit S. Chrysostomus, poenitentiam exhibuit, ita dicens: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo* [4]). Et olim patratum peccatum post tot annos, post tot generationes, quasi nuper accidisset, lugebat. Sic etiam, ut idem loco supra citato notat, Paulum Apostolum videmus ea, quae jam abolita fuerunt et deleta, adducere tamen in medium. Et cum culpam de praesentibus non haberet, tamen, quoniam recordationes peccatorum

[1]) Hom. de decem mill. talent. debit. n. 7. [2]) De compunct. ad Stelech. l. II. n. 6. & 7. [3]) II. Reg. XII, 13. [4]) Ps. VI, 7.

et luctum gemitumque sciebat animae prodesse, etiam illa commemorat, quae per ignorantiam commissa gratia baptismi et confessio fidei aboleverat. Hoc docuit Spiritus S. tales: *De propitiato peccato* [id est, remisso] *noli esse sine metu* [1]). Cur? tum quia non semper poena remittitur, culpa remissa, dolor autem et fletus poenas quoque abolet; tum quia is, cui remissa sunt peccata, potest metuere relapsum in illa, quem impedit continuatus de praeteritis dolor et luctus.

Porro in consideratione peccatorum homini ab iis jam libero, si olim gravibus erat peccatis oneratus, sequendum est monitum a Deo Patre datum S. Catharinae Senensi: »Noli ipsos defectus in particulari considerare, sed in generali, ne mens inquinetur sive contaminetur in recordatione particularium atque turpium peccatorum« [2]). Et hoc sensu intelligendus est apud Cassianum [3]) Abbas Pinufius, dum vetat praeteritorum peccatorum recordationem.

Tum, qui scrupulis laborant, vel timidam habent conscientiam, obediant monito dato a S. Bernardo: *Ad Dominum jam conversos non nimis cruciet praeteritorum conscientia delictorum, sed tantum humiliet nos, sicut et ipsum* [beatum Paulum]. »*Ego sum, inquit, minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei*« *(I. Cor. XV, 9). Ita et nos humiliemur sub potenti manu Dei, et fiduciam habeamus, quia et nos misericordiam con-*

[1]) Eccli. V, 5. [2]) Dialog. c. 66. [3]) Collat. XX. c. 9.

secuti sumus [1]). Et ut alibi monet: *Est quidem necessarius dolor pro peccatis, sed si non sit continuus. Sane interpoletur laetiori recordatione divinae benignitatis....et memoria beneficiorum Dei. Miscemus absynthio* [dicerem ego zinzibere vel corticibus malorum aureorum amaris] *mel, ut salubris amaritudo salutem dare tunc possit, cum immisto temperata dulcore bibi* [vel comedi] *poterit* [2]). Post unius horae considerationem de peccatis praeteritis, altera hora suadeo considerare gravitatem peccatorum venialium, in singulis punctis ruminando ea, quae infra posita sunt in aliquot meditationibus de peccatis venialibus, si is, qui in octiduana collectione est, solet adhuc frequenter in die in peccata venialia deliberata labi. Huic enim non sufficeret unius horae meditatio; sed tres vel quatuor hac de re instituendae essent: impossibile enim est, eum non labi in peccata venialia frequenter, qui intime non habet et profunde perspectam illorum foeditatem et gravitatem, quae cognoscitur per plures et longas de iis considerationes. Ut enim ait S. Thomas, et experientia declarat: *Est proprium rationali creaturae, quod per inquisitionem rationis moveatur ad aliquid agendum; quae quidem inquisitio consilium dicitur; et ideo Spiritus S. dicitur per modum consilii creaturam rationalem movere: et propter hoc consilium ponitur inter dona Spiritus sancti* [3]).

---

[1]) In f. SS. Petri & Pauli serm. III. n. 1. [2]) In Cantic. serm. XI. n. 2. [3]) 2. 2. q. LII. a. 1. corp.

Post meditationes de peccatis sequatur meditatio mortis justorum; et in ea duo accurate perpendantur: 1°. An sit in anima tua aliquid, quo per confessionem non expiato, nolles mortem subitaneam et improvisam subire; et si quid tale inveneris, praesertim habens speciem peccati mortalis, subito bona confessione abole. — 2°. Si jamjam tibi moriendum esset, quid velles fecisse antea ex bonis operibus omissis vel negligenter peractis; et resolve te ad ea quamprimum aggredienda et facienda constanter, ut per ea te ad bonam et laetam mortem disponas libenter subeundam, quocunque Deus voluerit tempore, sine indigentia etiam confessarii: nam ad levissimas labeculas, quae etiam in perfectis inveniuntur, sufficit exiguus dolor, si desit confessarius.

Post haec facta expedit confiteri, eo modo, quo confitereris, si tibi post has pauculas meditationes, primo et secundo collectionis die factas, moriendum esset; ut hac ratione etiam ad feliciorem mortem te in octiduana collectione praepares.

Reliqui quinque dies in meditationibus vitae et passionis ac mortis Christi transigendi sunt, eo ordine, quo sunt disposita exercitia in secunda hebdomada; ita ut initium fiat regno Christi, et nunquam omittatur accurata meditatio de secundo et tertio modo seu gradu humilitatis: quia est una ex essentialibus, ut ita dicam, meditationibus, summe necessariis omnibus nostris, in omni gradu et statu constitutis.

Ultimus vero dies collectionis, sive octavus,

sive decimus — qui ob indulgentiam plenariam a Paulo V. concessam iis, qui decem diebus secedunt ad meditanda et legenda pia saltem per duas horas de die — consumendus est in considerationibus proprii status conditionum; v. g. si sacerdos es, considera officium sacerdotis, vel confessarii, vel concionatoris, quid requirat juxta praescripta divinarum et ecclesiasticarum et tui Ordinis legum; idem fac si alios doces, vel studes ipse; idem si Superior es: ut in his considerationibus tui officii agnoscas defectus, si quos commisisti, et defleas et emendes vitesque in posterum, nec non ea deinceps facias et eo modo, quae antea per socordiam vel inadvertentiam omisisti, vel non omnino perfecte fecisti. Sed si bene te gessisti in tuo officio, Deo gratias age. Posses etiam ultimo die collectionis, imo et duobus diebus ultimis, loco punctorum meditationis, illas Sanctorum sententias meditando ponderare, quae sunt supra positae c. XVI. et XVII., in quibus perfecti viri et religiosi quaedam anatomia continetur: ut et emendes defectus, si quos contra illas Sanctorum sententias in te deprehenderis, et cures illam perfecte vivendi rationem deinceps sectari, quam illi Sancti descripserunt, et quandam perfectae sanctitatis ideam delinearunt, ad quam collimare debes per omnes tuas meditationes et spiritualium librorum lectionem.

Sed cum tempore collectionis octiduanae viri perfecti, imo et alii fere, in examinibus quotidianis conscientiae non inveniant peccata, qui tunc in ea non labuntur, hoc tempore examinum, postquam

illa puncta quinque examinis a S. P. Ignatio tradita percurreris: 1°. Gratias age Deo solito diutius pro beneficiis tibi illo anno peculiariter a Deo concessis, singula revocando in memoriam et saepius ea in gratiarum actione iterando, descendendo ad minutissima quaeque. Nam non est credibile, quantopere se Deus communicet talibus, qui etiam pro minimis ei saepe agunt gratias, ut docent Sancti [1]) et experiuntur illi, qui ita se gratos Deo exhibent. — 2°. Vide, in quae peccata frequentius antea labi solitus fueris, ut deinceps vel nunquam vel rarius ea committas. — 3°. Vide, an aliqua vehementi passione, praesertim irae, in verba vel gestus incompositos prorumpente, labores, et omnino eam deinceps fortius frenare stude, ne exterius se prodat, et ne interius te valde conturbet et inquietet. — 4°. Examina accurate intentiones verborum et operum tuorum, ut sint purissimae, solum Deum et divina spectantes, nullam rem humanam vel favorem, vel laudem, vel honorem, vel commodum aliquod proprium temporale. — 5°. Vide, an opera indifferentia obtuleris Deo initio eorum, juxta praescriptum S. P. N. Ignatii reg. 17. Summarii expressum. — 6°. Diligenter te reflectas ad internas affectiones tuas erga res, quibus uteris, erga personas, ad quas propendes, vel a quibus abhorres, erga loca, quae appetis, vel detrectas, vel in quibus manes, erga

---

[1]) *Theodor. Stud.* serm. catech. XLIII; *Chrysost.* in Genes. hom. XV. n. 5; *Bern.* de divers. serm. XXVII. *Laur. Just.* l. de obed. c. VII. fin.

occupationes cubiculi tui, et alias extra illud; et vide, ne quid sit in his affectionibus inordinatum, non pure divinum, ut correctis corrigendis, fias totus divinus, uti erat S. Pater Ignatius noster Parens, qui dixit aliquando, se vivere non posse, si quid in anima sua humanum adverteret, et non omni ex parte divinum [1]). Nam, ut dixit Deus Pater S. Catharinae Senensi: »Anima, quae consistit in odio sancto sui, quotidie se corrigit et arguit omni tempore: non solum eos, qui sunt contra rationem, immo frequenter illos etiam motus corripit, qui procedunt a me. Hoc innuere voluit ille devotus servus meus B. Gregorius, cum ait: *Bonarum mentium est ibi culpam agnoscere, ubi culpa non est*« [2]).

Haec sufficiunt de meditationibus et examinibus dicta pro viris perfectis, vel perfectioni acquirendae serio incumbentibus. Ceterum iis in decursu collectionis, vel in meditationibus, vel extra illas, cum quadam reflexione considerare suadeo et conari ac firmiter statuere haec exequi deinceps:

I°. Ut actiones adaequentur cognitioni: hoc est, ut vites semper et facias omnia, quae agnoscis tibi esse vitanda et facienda, et ut omnia, quae facis, quae dicis, quae etiam conaris, et quae deliberate cogitas, eo modo a te fiant, quo cognoscis ex Dei lumine — per Scripturam sacram, vel per Ecclesiam, vel per tuos spirituales Patres aut Superiores, vel per lectionem librorum spiritualium, aut consilia

[1]) Gloria S. Ignat. c. VII. [2]) Dialog. c. 73.

bonorum sociorum — tibi communicato, debere fieri. Hoc S. Aloysius in more habuit et executus est. Hoc S. P. N. Ignatius desiderabat maximopere ab omnibus servari; ideoque ex abundantia cordis loquens et scribens concludebat epistolas, quas ad saeculares scribebat: Deum orando, ut cognoscamus ejus voluntatem et eam agnitam plene et integre compleamus. Magni momenti est haec res ad perfectionem cito consequendam. Immo talis vivendi ratio perfectio est. Ideo S. Bernardus inter insignia beneficia, quae Christus Dominus suo ad nos adventu conferre solet, ponit illuminationem intellectus et motionem ac purgationem voluntatis et affectus; deinde subdit: *Sic Apostolorum intelligentia per Christum illuminata est, et voluntas emundata per Spiritum: ut sicut bonum noverint, sic et velint: quod solum perfecta religio, vel religiosa perfectio est* [1]).

II°. In hac collectione ita accendenda est solitis considerationibus voluntas, ne deinceps ullum opus aut sermo a te prodeat, qui non sit meritorius et positive Deo placens. Cum enim simus et debeamus esse membra Christi nostri capitis [2]), — quandoquidem hoc nos favore et honore affecit — ita vivere debemus, sicut vixit caput nostrum Christus, qui de se dixit ad commendandam nobis sui imitationem: *Ego quae placita sunt ei, facio semper* [3]). Et hoc est, quod Paulus Apostolus etiam a saecu-

---

[1]) In Ascens. serm. III. n. 4. [2]) Eph. V, 30. [3]) Joan. VIII, 29.

laribus exigit: *Obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum* [1]). Quae verba ponderans S. Isidorus Pelusiota, *non ad solos sacerdotes haec eum scripsisse,* ait, *sed universae mandasse Ecclesiae. Unumquemque enim ipsorum, hac in parte sacerdotem esse jussit. Eos enim divinus Paulus sacerdotes esse statuit, qui non victimis et sacrificiis, sed nuda natura omnibus pietatis muneribus perfunguntur, atque e corporibus suis pure ex se libant* [2]). Conforme huic doctrinae est monitum S. Chrysostomi: *Sicut omnia quae a Domino facta sunt....ratione et sapientia quadam facta sunt, usum necessarium exhibentia: ita et quae a nobis fiunt, ne absque causa et frustra fiant oportet, sed in utilitatem et lucrum nostrae salutis. Nam si ii, qui saecularibus negotiis dediti sunt, adduci nequeant, ut rem aliquam incipiant, nisi prius aliquid lucri suboleat: multo magis justum est, ut nos hoc faciamus* [3]). Non fiunt autem res a nobis cum lucro nostrae salutis, nisi opera nostra sint meritoria vitae aeternae. Quocirca noster S. Aloysius Gonzaga inter praeclara monita, quae ex divino lumine hauserat et pro sui directione scripto annotaverat, post ejus felicissimam mortem inventa, primum tale fuit, et refertur in ejus vita: »Primum omnium scire interest, tuum Dei causa procreati officium esse

---

[1]) Rom. XII, 1. [2]) L. III. ep. 75. [3]) In Gen. hom. XI. n. 2.

(quando ipse te creando, ab interitu vindicando, atque in sacram sibi familiam adscribendo, ita de te meritus est) ad Deum tendere. Unde conficies, non modo tibi ab omni pravo facinore, verum etiam indifferente aut inutili quovis opere abstinendum esse. Quin potius, quo propius semper ad Deum accedas, in id omni studio incumbes, ut nullum factum, nullum consilium tuum non a virtute dimanet« [1]).

III°. In hac collectione ii, qui perfectius vivunt, excitent se magis ad eligenda in omnibus rebus ea, quae perfectiora esse cognoscent, juxta monitum Apostoli: *Aemulamini charismata meliora* [2]). Hoc S. P. N. Ignatius docuit nos, dum toties in Constitutionibus commendat nobis, ut quaeramus in omnibus majorem Dei gloriam, majorem ejus laudem, majus ejus obsequium; quam majoritatem in Constitutionibus posuit centies et quater, nobis eam commendans, uti lectis aliquoties Constitutionibus adverti et numeravi.

IV°. Iidem se magis excitent ad eligendum inter duo aeque perfecta id, quod est conformius vitae Christi afflictae et depressae, juxta tertium modum humilitatis a S. P. N. Ignatio in exercitiis traditum, ut etiamsi nullo superaddito laus Dei par foret, ad majorem tamen imitationem Christi, eligam potius cum eo paupere, spreto, et illuso, pauperiem,

---

[1]) L. II. c. VI. n. 178. apud Boll. [2]) I. Cor. XII, 31.

contemptum, et insipientiae titulum amplecti, quam opes, honores, et sapientiae aestimationem. Haec est vera fortitudo christiana. Nam, ut ait Aristoteles: »Tolerandis rebus molestis, homines fortes dicuntur: unde etiam molesta res est fortitudo, et merito laudatur: quippe cum molesta sustinere, quam a jucundis abstinere, difficilius est« [1]). Ideo S. P. N. Ignatius exemplo suo id nos docuit, quia »tanti aestimabat persecutiones ac vincula, quibus pro Christo fuerat vexatus atque constrictus, et eo numero ponebat, ut aperte diceret, si quae a Deo creata sunt omnia, altera in parte staterae collocarentur; in altera carcer, catenae, probra, vix illa omnia prae istis momentum ullum apud se habitura« [2]). Ideo merito S. Catharina Senensis, inter oblatas sibi a Christo duas coronas, auream et spineam, jussa eligere alterutram, spineam elegit, Christo mirifice id probante [3]).

V°. Sic accendamus in octiduana collectione nostram voluntatem, ut quemadmodum monuit S. Thomas: *Similiter nos diligentiam apponere debemus, ut singula opera nostra, quantum unquam melius possumus, faciamus ex omni virtute Domini nostri Jesu Christi, et cum omni desiderio triumphantis et militantis Ecclesiae, et sub nomine Creatoris: quasi tota salus nostra, et omnis laus Dei, et universitatis utilitas* [pondera singula

---

[1]) Ethic. l. III. c. 9. §. 2. [2]) Apud Boll. Vit. alt. c. XXXVII. n. 556. [3]) Apud Boll. Vit. p. II. c. IV. n. 158.

verba] *ex uno opere dependeat: quasi nunquam ad id opus reversuri, neque opus aliud postmodum incoepturi* [1]).

VI°. Ab iis, qui Deo ferventer serviunt, hoc collectionis tempore, examinandus est fervor diligenter et zelus, quem in se sentire solent erga propagationem divinae gloriae, vel conservationem aut promotionem religiosae disciplinae et observantiae regularis, ne sit inordinatus aut nimius, et defectibus aliquibus coinquinatus. Solent enim hoc zelo praediti, si non habeant passiones bene mortificatas, Superiorum vel aequalium mores censuris inordinatis taxare, aut inferiorum vel aequalium lapsus leves severius, quam par sit, punire vel corrigere, aut plura velle alio modo, quam velint moderatores, aggredi et patrare. Quae res et illos inquietos reddunt, et alios perturbant, et aliquando ipsi communitati nocent, et externos quadam indiscretione offendunt. Nunc ergo isti nimii zeli fervores, vel potius furores, agnoscendi sunt, et corrigendi consideratione reflexiva quarundam doctrinarum a Sanctis traditarum. Quarum

Prima esse potest tradita a S. Ambrosio: *Quaerendum est in omni actu quid personis, quid temporibus conveniat atque aetatibus, quid etiam singulorum ingeniis sit accomodatum. Saepe enim quod alterum decet, alterum non decet. Aliud juveni aptum, aliud seni: aliud in periculis, aliud*

---

[1]) Opusc. LXII. de div. morib. §. *Deus omnia bene facit.*

in rebus secundis. Saltavit ante arcam Domini David (II. Reg. VI, 14); non saltavit Samuel; nec ideo ille reprehensus, sed magis iste laudatus [1]). *Sicut enim,* inquit S. Bernardus, *difficillime tenetur modus in eo, quod bonum esse creditur, ita non semper tutus est omnis boni appetitus* [2]). Et inferius: *Quicunque bonam voluntatem habuerit, secum habet quidquid ad bene vivendum ei opus est: quamvis bonae voluntati non semper credi expedit, sed frenanda est, sed regenda est, maxime in incipiente. Regat sanctae obedientiae regula bonam voluntatem; illa vero corpus* [3]).

Secunda doctrina, eaque pulcherrima, est ejusdem S. Bernardi alio in loco tradita Eugenio Papae: *Spiritualis homo....omne opus suum trina consideratione praeveniat: Primum quidem, an liceat; deinde, an deceat; postremo, an expediat. Nam etsi constet, in christiana utique philosophia non decere nisi quod licet, non expedire nisi quod decet et licet: non continuo tamen omne quod licet, decere aut expedire consequens erit* [4]).

Tertia doctrina petenda est ex ratione vivendi S. P. N. Ignatii, qui, ut Maffeius scribit: »In consilio capiendo et rebus gerendis, cum Deum semper accurata supplicatione consuleret, tum vero non pietatis gustum, sed rationis ductum praecipue sequebatur, ut non rationem spiritus dulcedo praei-

---

[1]) De offic. ministr. l. I. c. 43. n. 212 sq. [2]) Epist. ad fratr. de monte Dei l. I. c. VII. n. 20. [3]) c. IX. n. 25. [4]) De consid. l. III. n. 15.

ret, sed dulcedinem ratio. Hoc enim ajebat, uno maxime belluis homines antecellere, quod hi ratione utantur, illae nequaquam« [1]). Et, ut scribit Orlandinus: »In suscipiendis divini servitii causis circumspectionem requirebat maximam; solebatque dicere, in Societate hominum genera duo esse: unum eorum, qui exstruerent solum, alterum eorum, qui simul inter exstruendum destruerent. Primum genus sibi probari; et hos esse qui studio ac zelo uterentur considerato, providentes, ne quam damni causam, non modo re, sed ne specie quidem darent, neve ii offenderentur, qui si adversarii fierent, possent nostrum in divino obsequio et salutis publicae studio impedire cursum; atque adeo quaedam, quae recte alioqui fierent, omittenda censebat, non damni privati formidine, sed operum respectu potiorum: quia saepenumero, dum parum caute quid attentatur, nec illud efficitur, et mora aliis multis objicitur« [2]).

VII°. Cum in hac collectione inflammandus sit animus ad Deum perfectius colendum et amandum, et ardentis erga Deum amoris effectus et signum sit, semper ad majora et plura aspirare, per quae divina colatur et ametur quam maxime Majestas: ideo nunc excitanda est piis considerationibus hujus collectionis et accendenda voluntas, ut non tantum perfecte deinceps Deo servias, eum colendo et amando quoad te ipsum, et alios ratione tui gradus et officii ad idem inducendo, verum, ut tam sit ampla

[1]) L. III. c. 10. init. [2]) L. XVI. n. 121. sq.

et perfecta et fervens Deum colendi et amandi in te ratio, ut quodammodo compenses et suppleas obsequia Deo debita, quae multi impie et tepide viventes omittunt, ut quadam ratione ex Dei sincerissimo amore et reverentia solvas Deo debita male et tepide viventium, quae ii solvere non curant, quin potius nova contrahunt male et tepide Deo serviendo, immo illum tot modis indignis quotidie offendendo. Talis enim eorum vita est magnum incitamentum ad vitam a nobis sanctissime traducendam, et ad consolandum Dei cor tot peccatis hominum impiorum et tepidorum — ut modo humano loquar — contristatum et afflictum.

VIII°. Denique ad omnem perfectionis gradum assequendum haec collectio instituenda est. Nam, ut ait S. Chrysostomus: *Si velis Apostolis par esse, nihil obstat. Si illam virtutem amplectaris, sufficit illa tibi, ut nihil minus quam Apostoli habeas* [1]). Nunc autem est tempus, voluntatem magis ad ferventissimum virtutis amorem accendendi.

CAPUT XXI.

Puncta meditationum pro octiduana collectione tironum et proficientium, quatuor pro singulis diebus.

Notandum circa puncta meditationum. Inter alia adjumenta conducentia ad bonum meditationum successum unum est, ne puncta in

[1]) In Matth. hom. XLVI. al. XLVII. in fine.

meditationibus consideranda sint fusa: sive legantur in aliquo libro, sive viva voce tradantur ab aliquo. Hoc monuit S. P. N. Ignatius in libri exercitiorum initio, his verbis: *Ille qui modum et ordinem alteri tradit meditandi sive contemplandi, fideliter narrare debet meditationis seu contemplationis historiam, percursis obiter dumtaxat punctis illius praecipuis, et adjecta solum brevi declaratiuncula;* et causam bonam hujus moniti S. Pater statim subjunxit: *ut is qui meditaturus est, accepto veritatis historicae primum fundamento, discurrat postea et ratiocinetur per seipsum. Ita enim fiet, ut dum aliquid invenerit, quod elucidationem vel apprehensionem historiae aliquanto majorem praebeat, (sive ex discursu proprio, sive ex divina mentis illustratione id contingat) gustum delectabiliorem, et uberiorem fructum percipiat, quam si res ipsa ei ab altero diffusius narrata et declarata esset. Non enim abundantia scientiae,* [quam puncta diffuse tractata pariunt], *sed sensus et gustus rerum interior desiderium animae explere solet* [1]).

Quocirca non est operae pretium pro meditatione praeparare se lectione talium librorum, in quibus sunt posita non tam puncta meditationum, quam ipsae meditationes extensae, continentes illos affectus expressos, qui decursu meditationum ab ipso meditante inveniri et excogitari et elici debent, uti et proposita particularia ex his affectibus orta. Saeculares tamen in usu meditationum non exerci-

---

[1]) Annot. 2.

tati et religiosi infirmi vel debiles, ob capitis indispositionem discurrere non valentes, possunt se juvare lectione, lenta valde, talium librorum, et in ea illos pios affectus elicere, illo ipso tempore, quo eos legunt. Et ita S. Teresia, cum nondum acquisivisset orandi et meditandi proprio discursu et divino lumine modum, legendo quendam spiritualem librum eo se excitabat ad illos, quos legebat, pios affectus, quos deinde, edocta et mota divinitus, per se ipsam sine lectione illius inveniebat et eliciebat. Ideo hoc loco pro tironibus et iis, qui in via purgativa versantur, posui infra breviter proposita puncta meditationum et quasi majores propositiones syllogismorum practicorum, ut ex illis, quae meditantur, deducant propositiones minores et particulares ac conclusiones bonarum resolutionum et propositorum faciendorum ad vitae reformationem seu perfectionem.

Et sic breviter scriptorum punctorum tres vel quatuor tomos habuit S. Carolus Boromaeus, quibus utebatur pro suis meditationibus [1]), qui nunc exstant in Bibliotheca Mediolanensi Ambrosiana.

Porro ideo in his meditationum punctis, nec orationem praeparatoriam, nec praeludia et raro colloquia posui, tum quia ea scripsi pro exercitatis in meditando, juxta praescriptum libri exercitiorum S. P. N. Ignatii: tum quia facili negotio etiam tiro per se ipsum potest, Deo juvante, talia excogitare et adhibere.

---

[1]) Giuss. Vit. S. Caroli l. VIII. c. 5.

MEDITATIO I.

De fine communi omnibus.

[PRIMA DIE: PRIMA].

Punctum I. — Considera finem, propter quem creatus est homo; scilicet: *ut Dominum Deum suum laudet, ac revereatur, eique serviens tandem salvus fiat.* Qua in re perpende praestantiam finis, tum ultimi, qui est salus aeterna et summum bonum, majus omnibus bonis hujus vitae, tum intermediorum finium, qui sunt: *laudare Deum, revereri, ac ei servire;* ut hinc concipias ingens desiderium, quam perfectissime serviendi Deo in hac vita, ut et correspondeas Dei erga te amori, qui te ad tam altum finem creavit, et ut maximae felicitatis, in consecutione hujus finis sitae, compos fias.

Punctum II. — Considera, quid a Deo in creatione tui ad hunc finem acceperis; nimirum: animam immortalem cum intellectu, memoria, voluntate, aptam ad recipienda innumera dona a Creatore et Redemptore tuo; corpus cum quinque sensibus et membris integris, sanis, — quod multis hominibus deest — atque ita cognosce, non deesse tibi in te ipso instrumenta et media, a te ipso non diversa, quibus si utaris ad laudem et obsequium Dei, possis facillime cum divina gratia consequi aeternam salutem. Gratias igitur age Deo pro his; et cum non sint haec tibi data a Deo ad malum usum, agnosce, te iis debere uti ad consequendum tuum finem.

Punctum III. — Considera, quomodo hactenus potentiis animae tuae et membris ac sensibus corporis tui quaesieris laudem et obsequium Dei ac salutem aeternam; si bene quaesivisti, divino hoc muneri adscribe, gratias age Deo, et ab eo pete, ut in posterum ita, immo adhuc perfectius quaeras hos fines, propter quos creatus es. Sin minus, vehementer dole et magnum excita in te desiderium, et Deo pro offensa satisfaciendi, et resarciendi tua damna, quae sunt multo majora omnibus damnis hujus vitae: quia minimus gloriae gradus — quem non assequimur ob solam omissionem alicujus operis boni — est praestantius bonum omnibus bonis temporalibus hujus vitae: siquidem, ut docet S. Thomas, *bonum gratiae unius majus est quam bonum naturae totius universi* [1]). Quocirca annota praecipua peccata tua, vel defectus tuos, committi a te solitos in usu potentiarum animae et membrorum ac sensuum corporis tui, eos ut deinceps vites.

In colloquio gratias age Creatori tuo pro his beneficiis; dole de peccatis in malo usu animae et corporis commissis; veniam pete; adhibe intercessores B. V. Mariam et alios Sanctos, praesertim tuos patronos et inter hos Angelum custodem. Propone seriam emendationem, eamque offer Christo Domino, tamquam mediatori tuo, in unione ejus meritorum, ut tibi det gratiam exequendi bona proposita circa tui emendationem.

In fine *Pater noster. Ave Maria. Anima Christi.*

---

[1]) 1. 2. q. CXIII. a. 9. ad 2.

MEDITATIO II.

De fine ac usu creaturarum.

[PRIMA DIE: SECUNDA].

Punctum I. — Considera, *reliqua super terram sita creata esse hominis ipsius causa, ut eum ad finem creationis suae prosequendum juvent.* Hic agnosce liberalitatem Dei, qui tibi tam multas, tam varias creaturas, idque copiose suppeditavit, ut per illas, tanquam per media quaedam, diligentissime quaereres finem tuum, hoc est: *laudem et obsequium Dei ac salutem tuam.* Gratias ei age pro tam liberali beneficentia, qui te non solum necessariis, sed etiam supra necessitatem tot creaturis ditavit, etiam tuae recreationi, non soli sustentationi, servituris: et in te excita efficax desiderium correspondendi intentioni Dei, quam habuit dando tibi tam multas, tam miras et insignes creaturas ad reddendam tibi faciliorem consecutionem finis tui, et in hac vita, et in altera.

Punctum II. — Considera, quomodo hactenus usus sis his creaturis ad laudem Dei et salutem tuam; quod cognosces ex tribus signis: 1° An magis et libentius occuparis per actus internos animae, et externos sensuum et membrorum, circa creaturas, — sistendo in illis solis — quam circa Deum ejusque laudem et obsequium, ac salutem tuam procurandam. 2°. An facilius offenderis Deum, quam creaturas. 3°. An magis dolueris et senseris jacturam alicujus creaturae, quam Dei gratiae et occa-

sionis ei serviendi et salutem procurandi. His bene ponderatis, agnosce caecitatem et stultitiam tuam, et defle tam multa bona et lucra aeterna omissa, et mala commissa gravissimis poenis, vel in hac, vel in altera vita luenda.

Punctum III. — Considera ardens et indefessum studium saecularium, in variis mundi statibus, quaerendi fines suos: quanto nimirum conatu, labore, sumptu, assiduitate, molestiis, periculis, se macerent, licet incerti sint et saepe non assequantur fines, quos quaerunt, eosque non aeternos, malis autem quam plurimis plenos, sive ii sint honores, sive divitiae, sive voluptates. Ex altera parte vide, an tu finem tuum tam excellentem eodem modo, quo illi suum quaerunt, quaesieris et quaeras. Quod si non illo modo, confundere, dole et propone seriam in multis particularibus emendationem; et magnum excita desiderium, in posterum omni studio in omnibus actionibus nihil aliud praetendendi, quam laudem et obsequium Dei quam maximum.

Colloquium ut in prima meditatione.

MEDITATIO III.

De fine communi religiosorum.

[primo die: tertia].

Punctum I. — Considera finem communem omnibus religiosis, propter quem a Deo vocati sunt in religionem; ut scilicet perfectius viverent, quam saeculares in mundo: hoc est, perfectius servando praecepta decalogi et Ecclesiae, et praeterea vota

religionis. Tu vide: an vixeris hactenus juxta hunc finem, ad quem vocatus es; et prout inveneris te vixisse, vel Deo gratias age pro bona vita, vel defle malam, ponderando illa Prophetae Jeremiae verba: *Quid est, quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa?* (Jer. XI, 15.)

Punctum II. — Considera media ad finem vitae religiosae tibi data, communia cum aliis religiosis; quae sunt triplicia: 1°, usus sacramentorum Poenitentiae et Eucharistiae; 2°, exercitium virtutum: fidei, spei, charitatis, humilitatis, paupertatis, castitatis, obedientiae, sobrietatis, mortificationis carnis et affectuum, patientiae et aliarum virtutum; 3°, auxilia interna divina, quae majora sunt in religione; et externa ipsius religionis, qualia sunt: habitatio separata a saecularibus, Superiorum vigilantia, regularum instructio, exempla bona domestica, aliorum pro te preces et totius religionis bonorum communicatio, remotio multarum occasionum peccati. Ubi duo perpende: 1°, potuisse te facillime tot mediis adjutum perfectionem consequi; 2°, severum judicium Dei te manere, quod tam parum profeceris in tot auxiliis; ideo defle praeteritos errores, seriam propone emendationem in aliquot rebus particularibus.

Punctum III. — Considera motiva, quae te excitare possunt, ut per media religiosae vitae finem ejus quaeras in omnibus actionibus tuis. Haec autem esse possunt praeter alia: Dei voluntas, qui te ad hunc finem vocavit; Christi tot labores et ipsa mors propter hoc suscepta; tam multa Christi et aliorum Sanctorum exempla, etiam in hunc finem in Ecclesia

relicta; tam multa et tam varia beneficia Dei et prospera et adversa; item satisfactio, quam debemus Deo pro praeteritis peccatis; gratitudo pro tot beneficiis; denique exemplum saecularium, qui fines suos, saepe malos, semper transitorios et caducos, tam ardenter quaerunt.

Colloquium, ut supra.

MEDITATIO IV.

De fine proprio societatis.

[PRIMO DIE: QUARTA].

Punctum I. — Considera finem, propter quem vocatus es ad Societatem; qui est: *non solum saluti et perfectioni propriarum animarum cum divina gratia vacare; sed cum eadem impense in salutem et perfectionem proximorum incumbere.* Hic considera miram excellentiam hujus finis; Dei erga te amorem, qui te ad tam nobilem finem vocavit, ad quem vocavit Apostolos; ideoque accendere ad acquirendum hunc finem, propositis aliquot motivis, quae te excitare possint ad hujus finis desiderium et amorem ardentem.

Punctum II. — Considera propria media et auxilia, quae Deus dedit tibi in Societate ad quaerendum hunc finem; ea sunt: frequentior usus Sacramentorum, quam in aliis Ordinibus, frequentius examen conscientiae, usus meditationum practicus ad vitae reformationem institutus, exhortationes domesticae, manifestatio conscientiae, confessio generalis semestris, vel annua, votorum renovatio, Su-

periorum immediatorum et mediatorum assidua vigilantia et custodia, novitiatus longior, variae probationes ante tempus professionis non determinatum, tot regulae et ordinationes et instructiones ac epistolae Generalium, minutissima quaeque et vitanda et facienda indicantes; omnia impedimenta submota et alia. Unde agnosces, quam facile posses, si velles, cum divina gratia assequi finem tuum, et quam felix sis, cui tot Deus adminicula dederit et praesidia. Proinde magnam opinionem et amorem erga vocationem tuam ad hunc Ordinem concipe et ardens desiderium, Deum quam maxime glorificandi in Societate.

Punctum III. — Considera, quomodo usus sis in Societate hactenus istis mediis et auxiliis ad tuum finem: ut, agnita pravitate et socordia et fere in omnibus istis supina negligentia, sancto odio contra vitia tua armatus, seriam proponas in rebus particularibus emendationem, et praeteritam ingratitudinem et tepiditatem tuam amare deflens, in posterum in omnibus actionibus tuis Deum quam maxime glorifices, omnesque tui temporis et vitae partes ac momenta transigas, ut a Deo vere agnosci possint, esse perpetua Dei laus, obsequium, dilectio, eaque quam maxima et quam perfectissima: tum ut Deo satisfacias, tum ut praeteritam tepiditatem compenses nova vitae sanctitate, et correspondeas Christi erga te charitati, qui pro praeparando pharmaco his tuis infirmitatibus curandis necessario sanguinem proprium effundere, cum vitae propriae actura, dignatus est; pro qua ejus dilectione arden-

tissimas age gratias, et ad agendas invita omnes Sanctos et omnes creaturas; et implorato ejus auxilio, seriam propone fugam in posterum quinque saltem peccatorum venialium praecipuorum, in honorem et memoriam quinque vulnerum Christi Dei et Redemptoris nostri.

MEDITATIO V.

De impedimentis ac mediis ad finem.

[SECUNDO DIE: PRIMA].

Punctum I. — Considera causas, seu vias, per quas, dum in saeculo esses, recedebas a fine tuo, et tendebas ad damnationem aeternam; hae erant: ipsa habitatio in saeculo, plena occasionibus et incentivis ad peccata et distractionibus abstrahentibus nos a bonis operibus; item defectus eorum auxiliorum, quae secum adfert ex Dei munere vita religiosa. Hinc practice agnosce, quam sit tibi detestandus status saecularis, et amandus religiosus ei contrarius.

Punctum II. — Considera causas, seu impedimenta, propter quae in Societate vix aliquid perfectionis ad hoc tempus es assecutus; et intra te ipsum collige et numera omnia; et collata cum praestantia finis tui et mediorum, quae habes ad finem istum, erubesce et confundere coram divina Majestate, quod pluris feceris vilissimas res et indignissimas, quam Deum, ob cujus gustum et consolationem debebas per haec media quaerere finem tuum et eum poteras assequi.

Punctum III. — Considera modos practicos seu media, quibus in posterum uti debeas, ut evites illas vias et illas causas, quae te impediebant, ne mediis ad perfectionem tibi a Deo datis, ita ut par erat, utereris; et ardenter invocato auxilio divino, propone seriam emendationem, eamque in praecipuis defectibus tuis ostende.

MEDITATIO VI.

De necessitate indifferentiae circa usum creaturarum.

[secundo die: secunda].

Punctum I. — Considera necessitatem indifferentiae, etiam saecularibus necessariae, circa usum creaturarum ex se non malarum. Cum enim eae nobis ad salutem nostram quaerendam sint datae, et saepe nesciamus, per quas illarum nos velit salvare Deus, siquidem una eademque uni prodest, obest alteri: ideo quilibet, ne se periculo salutis exponat, nulli mordicus adhaerere debet, sed abstractus ab omni immoderato amore, semper paratus esse ad utendum hac vel illa, prout ad finem suum consequendum conducet. Atque ita fructus hujus puncti is sit: convincere intellectum nostrum circa necessitatem hujus indifferentiae, etiam cum saecularibus communem.

Punctum II. — Considera necessitatem hujus indifferentiae in religione; quae in eo sita est, ut, quantum est in te, non eligas magis hunc locum quam illum, hanc occupationem magis quam illam,

hunc modum tractandi negotia potius quam illum, hunc gradum in religione potius quam illum; sed illud ex his rebus tibi velis contingere, quod te magis juvare potest, idque non juxta judicium tuum, sed juxta judicium Dei, quod fallax non est, ad finis tui consecutionem.

Punctum III. — Considera media, quae Deus nobis dedit ad cognoscendam divinam voluntatem circa usum harum creaturarum vel illarum et mediorum ad finem nostrum consequendum. Media autem sunt: tum praecepta, tum monita seu consilia Superiorum; quia expresse Deus in Scriptura nos securos de hac re reddit dicens: *Qui vos audit, me audit* (Luc. X, 16), et aliis locis. Unde firmiter statue, hac via tibi incedendum esse, si nolis aberrare a via salutis et perfectionis; et incusata priore tua resistentia, seriam in posterum propone emendationem. Porro motiva indifferentiae sunt: 1^mum^, Dei voluntas, dum nos ad hoc institutum vocavit, quod exigit indifferentiam; 2^dum^, Promissio a te facta examinatoribus et Superioribus de ea, dum peteres ad Societatem admitti; 3^ium^, Promissiones Deo factae de ea toties in meditationibus et devotionibus tuis; 4^tum^, Christi exemplum, qui res amarissimas nostri causa pertulit; 5^tum^, Media praedestinationis eam exigunt; quia cum nos ipsi nesciamus, per quae media occupationum et habitationum in hoc vel illo loco et graduum in Societate praeviderit ab aeterno Deus non salvos fore: si certo salutem consequi volumus, ea eligenda sunt nobis, quae judicaverint vicarii Dei, nostri Superio-

res, quos Deus ipse dedit nobis pro interpretibus suae voluntatis, et assecuravit nos, dum illos audiemus, Deum ipsum audituros.

MEDITATIO VII.

De peccato triplici.

[SECUNDO DIE: TERTIA].

Prout est posita in libello exercitiorum spiritualium.

In Puncto I. — Quaerendae et perpendendae sunt rationes, quae demonstrent, tua peccata multo graviora esse uno solo peccato superbiae Angelorum, tantum semel commisso, nec tam multiplicibus beneficiis affectorum, nec tot praesidiis, quibus tu abundas; ut hinc veracissime tibi persuadeas et plane te convincas, peccata tua te reddidisse magis foedum, magis sordidum, magis exsecrandum, magis Deo exosum, et multo pejorem ipso diabolo, uti Sancti dicunt; ut hinc concipias nauseam quandam et sanctum odium tui, ita peccatis tuis foedati et coram Deo foetentis.

In Puncto II. — Considerari possunt duo: tum effectus mali peccati Adami, tum rationes similes prioribus, quae ostendunt, peccata tua esse multo graviora, quam fuerit inobedientia personalis Adami per se considerata; ut hinc quoque concipias vilissimam de te opinionem, et ad deflenda amare peccata tua exciteris.

In Puncto III. — In memoriam revocatis in genere praecipuis peccatis tuis, ob quorum similia cer-

tum est, multos jam esse in inferno: et ex altera parte ponderata malitia tua, quae multo major est, ut vidisti, superbia angelica, agnosce practice, te magis mereri poenas inferni, quam meritus sit diabolus, non ita uti tu malus. Unde sequitur, quam valde sint a te deflenda peccata tua, et quam modis omnibus, praesertim rerum animo aut corpori molestarum tolerantia indefessa, castiganda, ut Deo ac Creatori tuo pro illis quam optime satisfacias et quam citissime. Quocirca hinc agnosce, non debere te ulla re turbari in religione, quamvis molestissima et summe injuriosa esse videatur tuo amori proprio et tuae naturae immortificatae: quia peccata tua majores poenas merentur.

In colloquio defle peccata tua praeterita; veniam pete a Deo; adhibe Christum mediatorem, B. Virginem et alios Sanctos intercessores. Gratias age pro Dei patientia, qui te tamdiu toleravit et non punivit; propone emendationem; offer hanc voluntatem Christo Domino et pete gratiam exequendi haec proposita.

MEDITATIO VIII.

De peccatis propriis.

[SECUNDO DIE: QUARTA].

Eadem erit, quae secunda in exercitiis.

In Puncto I. — Confuse recogitanda sunt peccata vitae praeteritae, ne aliquorum memoria molestiam pariat turpitudine sua.

In Puncto II. — Consideranda est peccatorum

foeditas et nequitia; quae facilius apprehendetur, si conferatur cum illis rebus turpibus et foedis, a quibus abhorrere et fugere solemus cum quadam nausea: harum enim rerum, si reales et positivae sint, Deus ipse auctor est; peccati vero nullo modo. Atque ita multo sunt foediora omnibus rebus istis peccata tua, et tu propter illa. Statue ergo, quomodo tractandus sis ab omnibus, ita foedus et abominabilior omni foedo sanguine, pure et sanie etc.

Tria reliqua puncta sunt in exercitiis.

MEDITATIO IX.

De poenis purgatorii.

[TERTIO DIE: PRIMA].

Punctum I. — Considera incredibilem poenarum purgatorii acerbitatem, eo quod sit major omnibus carnificinis, tormentis martyrum, quaecumque possunt esse in hac vita, ut docent SS. Patres, major cruciatibus passionis et mortis Christi Domini, ut docet S. Thomas [1]). Est enim idem ignis in purgatorio, qui cruciat damnatos et daemones in inferno, etsi dispari modo; imo, ut aliqui graves theologi cum Cajetano docent, aliquos justos pro certo tempore magis cruciat, quam damnatos. Cum ergo hae poenae subeantur ob peccata mortalia jam remissa, sed non plena satisfactione compensata, vel saltem ob peccata venialia hic non plene expiata, duo necessaria sunt ad eas evadendas: 1^mo^, ut quam

[1]) 3. q. XLVI. a. 6. ad 3; in 4. dist. XX. q. I. a. 2.

rarissime pecces et quam levissime; 2^do, ut pro peccatis admissis quam maxime satisfacias modis in Ecclesia usitatis. Statue ergo, quid in te haec poenarum purgatorii acerbitas bene ponderata efficere debeat, ut quam citissime te liberes ab obligatione certa eas subeundi.

Punctum II. — Considera, paucissimos esse justos, qui sine purgatorio recta eant ad coelum; ut patet ex dialogis S. Gregorii et historiis aliis ecclesiasticis certissimis, et bene docet Bellarminus [1]). Ideo cogita, quibus modis possis eorum esse e numero, qui recta coelos petunt.

Punctum III. — Considera, paucos esse, qui parvo tempore in purgatorio detineantur; aliquos certe compertum est ad diem judicii mansuros, uti de quodam magno Praelato S. Lutgardi revelatum est [2]), etsi is fuerit valde bene de Ecclesia meritus, et utilis Ecclesiae. Cum ergo tu sis conscius multorum tuorum peccatorum, saltem venialium, vide practice, quomodo in posterum vivere debeas, ut vel purgatorium non attingas, vel ibi brevi tempore detinearis.

In colloquio dole de peccatis tuis, veniam pete, adhibe intercessores, propone emendationem in aliquibus praecipuis peccatis, et cetera fac, ut in alio colloquio supra posito.

[1]) De amiss. grat. l. I. c. 13. [2]) Act. Sanct. Boll. t. XXIV. 16. Jun. Vit. l. II. c. I. n. 7.

MEDITATIO X.

I. De peccato veniali.

[TERTIO DIE: SECUNDA].

Punctum I. — Considera peccata venialia in magnis Dei amicis gravissime a Deo castigata; propterea enim Moysen et Aaronem Deus a terra promissionis exclusit; propterea ob solius David peccatum veniale 70,000 virorum peste extinxit. (II. Reg. c. ult.) Confer nunc te ipsum cum istis Sanctis, et peccata tua cum his peccatis eorum, et gravitatem supplicii divini horum Sanctorum peccata castigantis perpende. Ita autem agnosces, quam grave sit, quam Deo exosum quodvis peccatum veniale. Quocirca, ne te similibus suppliciis in hac, vel in futura vita obnoxium reddas, talia peccata diligentissime cavere stude.

Punctum II. — Considera, posse te facile et haec et illa peccata venialia evitare, si certo tibi persuadeas, te propter illa mereri similia supplicia supradictis. Si enim nunc certo crederes, te post unum verbum otiosum statim combustum iri, procul dubio abstineres ab omni verbo otioso. Pondera ergo, multo majorem esse acerbitatem poenarum purgatorii peccatis venialibus debitarum: et saltem timore poenarum a peccatis talibus retrahere.

Punctum III. — Considera foeditatem et multitudinem tuorum peccatorum venialium; foeditatem quidem, comparando peccata venialia cum foedissimis rebus et morbis nauseam incutientibus, quibus

procul dubio sunt magis foeda, ac proinde magis detestanda. Sicut ergo vehementer erubesceres, si esses plenus ulceribus et scabie foetente et sanie purulenta, undequaque effluente, stomachum aliis movente; ideoque si in tua potestate esset, ab iis rebus mundum esse, certissime statim velles ab iis mundari, nec amplius foedari istis sordibus et spurcitiis. Idem firmo animi decreto faciendum tibi est circa mundationem animae a peccatis venialibus et fugam illorum. Quocirca serio delibera, quid tibi in posterum hac in re faciendum sit.

Colloquium ut supra.

MEDITATIO XI.

II. De peccato veniali.

[TERTIO DIE: TERTIA].

Punctum I. — Considera effectus peccati venialis duplices: formales et quasi effectivos. Formalis est ipsa macula, quae adeo displicet Deo, ut 1^mo^, si esset — per impossibile — in anima Christi, tolleret ab ea beatificam visionem, et ejus humanitatem e coelo excluderet; 2^do^, si esset aliquis Sanctus habens omnium Sanctorum sanctitatem et dona, et sanctior ipsa B. Virgine et omnibus Sanctis, si decedens ex hac vita cum una sola macula peccati venialis, et eam per totam aeternitatem retineret, ab ea non liberaretur per totam aeternitatem, nec admitteretur ad gloriam coelestem, quamvis haberet tam magnum jus ad illam, et gratiam justificantem, et tot favores Dei, dum viveret. 3^tio^, Adeo displicet

Deo haec macula, quod si fieri posset, ut quis levissime venialiter peccando posset esse causa, ne amplius ab ullo hominum ullum peccatum veniale et mortale committeretur, et ut omnes homines magni Sancti evaderent, Deus propter tam bonum effectum non praeberet assensum ad hoc, ut peccatum veniale committeretur.

Effectus effectivi sunt: 1^mo^, quia semper impediunt, ne homo tantum mereatur gratiae et gloriae augmentum, quantum mereretur, si actus, qui possunt esse boni meritoriique, a peccatis venialibus non inficerentur; 2^do^, disponunt ad mortalia, ut patet experientia in illis, qui sine causa in Societate non perseverant: eorum enim discessus non statim fuit factus, sed sensim a peccatorum venialium neglectu initium sumpsit; 3^tio^, causa sunt gravissimarum poenarum in purgatorio. Hi quoque effectus ponendi sunt in tertia persona: si quis posset esse causa, ne anima Christi Deum videret et ut ejus humanitas e coelo excluderetur; et sic de aliis duabus similitudinibus, vel exemplis. Item, si quis esset causa, ne lucrarentur aliquem magnum dignitatis gradum, si saeculares essemus, (qui tamen, licet maximus sit, longe inferior et minimo gratiae et gloriae gradu): et si quis potione aliqua suavi *(libens sicut aquam iniquitatem)*, sed occulte venenata, paulatim disponeret alterum ad mortem, (quae tamen non est tam grave malum, ut peccatum mortale, ad quod peccata venialia disponunt): et si quis procuraret, ut alter in mille partes secaretur, et gravissimis tormentis excruciaretur, (quae tamen picta videntur, si confe-

rantur cum poenis purgatorii), quam nefarius et abominabilis esset, et quantopere omnes ab illo abhorrerent! Quanto ergo magis foedum et abominabile est peccatum veniale! Unde excitanda est magna ejus detestatio, et in posterum cavendum ab illo.

Punctum II. — Considera, quomodo his offendisti Deum usque adeo, ut nullus homo sit in mundo, ne bestia quidem foedissima et vilissima, quam adeo graviter offenderis, et tam saepe et tam audacter. Hinc sanctum odium contra te concipere debes, illudque Deo demonstrare tolerantia omnium humiliationum.

Punctum III. — Considera, propter quid adeo offendisti Deum? saepe ex levissimis rebus sumpta occasione, propter hominem, propter respectus humanos, propter commoditates in victu, propter unam portionem aliquando non bene conditam murmurasti etc. Quantum dedecus et pudor! Doleas ergo et fleas, quod res tam viles potius curaveris, quam Deum, quem propter illas offendisti, et deinceps talia peccata vita.

MEDITATIO XII.

III. De peccato veniali.

[tertio die: quarta].

Punctum I. — Considera, quam difficile tollatur ex anima macula peccati venialis unius, siquidem Sanctorum omnium merita per se sola sumpta, imo omnium martyrum sanguis per se sumptus, non est sufficiens ad mundandam animam a macula

solius peccati unius venialis, quantumvis minimi, v. g. unius solius verbi otiosi, etiam sine deliberatione magna, ex fragilitate et inadvertentia parum culpabili, prolati. Hoc ut penetres, statue ante oculos mentis tam multa et multiplicia merita omnium Sanctorum, etiam Angelorum, etiam ipsius B. Virginis, et tam insignes et heroicos actus illorum pondera diligenter, quam magni fuerint: similiter et valorem tam multorum martyrum; et tamen non possunt abluere unam minimam turpitudinem unius minimi peccati venialis, nisi accedat valor passionis et mortis Christi et pretiosissimi ejus sanguinis pro peccatis nostris effusi. Obstupesce igitur, considerans, minimam peccati venialis gravitatem vinci non posse, sine Christi sanguinis pretio, a tot meritis et martyriis Sanctorum; et agnosce magnam caecitatem tuam, qui non curas addere peccata venialia peccatis, ac si res esset parvi momenti, et nullo negotio aboleri possint. Quare in posterum diligentissime te emenda, fugiendo illa; ac defle et detestare praeterita.

Punctum II. — Considera infinitum valorem passionis et mortis Christi, et sanguinis pro te effusi; et hinc agnosce, quam ingens malum sit, quam gravis et deploranda infirmitas ex uno peccato veniali in anima relicta, ad cujus medelam simpliciter et absolute — praeter proprios actus hominis ex gratia Dei provenientes — necessaria sit sanguinis Christi applicatio. Quod ut melius penetres, confer pretium hujus sanguinis cum infinito intervallo inferioribus pretiis rerum aliarum. Si enim ad

sanandam unam pustulam in manu et fronte opus esset unguento, empto pretio unius regni potentissimi venditi: quis negaret grave malum esse, et omni possibili conatu humano vitandam talem pustulam? Cum ergo pretium passionis Christi, mortis et sanguinis infinitis partibus superet, non tantum pretium unius solius regni, sed infinitorum mundorum, si tot essent: quantam malitiam esse necesse est vel unius venialis peccati, tam pretiosum remedium ad sui curationem exigentis? Qua ergo fronte laetari audes, admisso aliquo peccato veniali? quod tam difficile curatur, et nonnisi tam pretioso remedio adhibito, eoque parato cum dispendio vitae ipsius Dei?

Punctum III. — Considera, quantopere magni Dei Sancti vitaverint et defleverint venialia peccata. S. Joannes Baptista ideo a teneris annis in eremum secessit, *ne*, ut canit Ecclesia, *levi posset maculare vitam crimine linguae*. Pondera, quis fuerit iste Joannes Baptista, quantis privilegiis a Deo insignitus et laudibus: cujus nativitas praenuntiata ab Angelo; qui sanctificatus fuit adhuc in utero; quo, Christo teste, *non surrexit major inter natos mulierum* etc. Si ergo hic Sanctus, tam magnus, tam Deo carus, tam plenus gratia, adeo etiam verborum otiosorum occasionem declinat, signum est, incredibilem esse turpitudinem venialium peccatorum. Sic etiam S. Catharina Senensis unam repentinam curiositatem oculorum circa objectum non malum admissam, et altera vice unum responsum bonum suo confessario datum, tantum quia sine praevia consideratione erat pro-

latum, per aliquot dies amarissime flevit. Tu vero, qui nulla ratione huic sanctae virgini es conferendus, tot privilegiis stupendis a Christo cumulatae, cur tam facile et sine sensu doloris gravioribus te contaminas peccatis? Confundere et te emenda. S. Christina virgo, ut poenas peccatis venialibus debitas ab aliis averteret, incredibilibus se tormentis excruciabat, conjiciendo se in ardentissimas fornaces, in aquam bullientem, intra rotas molendinorum, in fluvios glacie concretos tempore hiemis. Et tamen gravior est et turpior macula venialis peccati seu culpa, quam poena ei debita, quae est effectus talis culpae. Quare et hinc agnosce, quam sit detestanda minima culpa venialis. Congregatis itaque ante oculos tuos omnibus talibus peccatis tuis, intuere quantopere foedarint animam tuam in oculis Dei, etiamsi nullo unquam peccato mortali eam contaminasses. Cogita ergo, quid te facere et pati oporteat, tum ut animam emundes tam multis turpitudinibus foedissime inquinatam; tum ut pro poenis Deo debitis satisfacias; tum ut praeteritam tepiditatem compenses novae vitae sanctitate et correspondeas Christi erga te charitati, qui pro praeparando pharmaco, his tuis infirmitatibus curandis necessario, proprium sanguinem effundere, cum vitae propriae jactura, dignatus est. Pro qua ejus dilectione ardentissimas age gratias, et ad agendas invita omnes Sanctos et omnes creaturas; et implorato ejus auxilio, seriam propone fugam in posterum saltem quinque peccatorum venialium praecipuorum, in memoriam vulnerum Christi Dei ac Redemptoris tui.

MEDITATIO XIII.

IV. De radicibus peccatorum venialium.

[QUARTO DIE: PRIMA].

Punctum I. — Considera primam radicem peccatorum venialium esse: affectum amoris inordinatum erga personas; ex quo fit, ut ne illas contristes, in gratiam illorum facias vel omittas ea, quae non deberes; quae autem sint illa, breviter in memoriam revoca cum quodam sensu confusionis et doloris. Porro quam hoc indignum sit et cum magno Dei contemptu conjunctum, agnosces, si comparaveris, non dico eas personas, quarum gratia peccas venialiter, sed omnes Sanctos in terra degentes, si, quod absit! in eorum gratiam aliquid faceres: invenies enim, te majora bona posse et debere sperare a Deo, majora mala timere, quam ab illis personis, a quibus, quia vel optas aliquid, vel times, ideo earum causa Deum offendis. Nonne ergo id indignum est? Nonne Dei contemptum praesefert? Erubesce igitur; deprecare culpam, pete veniam, dole et propone emendationem firmam.

Punctum II. — Considera secundam radicem peccatorum venialium esse: vel tacitam vel expressam aversionem animi ab aliqua persona, sive ob naturalem complexionem tuae complexioni non arridentem, sive ob aliquam ab ea datam causam offensionis, vel justae — ut sunt monita justa et his similia — vel injustae, uti sunt aculei verborum, et similia. Hic quoque inquire, quam indignum sit

et Deo injuriosum, aversioni culpabili, quam foves erga filium Dei, erga redemptum a Christo, haeredem regni coelestis, Deo carum, adhuc addere aliam Dei ipsius offensam? scilicet illa peccata, quae admitti solent cogitatione, verbo et opere contra eos, a quibus abhorremus. Ex altera parte te introspice, quomodo non minus aliis tu praebeas occasionem molestiarum; tamen amari vis, vel nihil pati eorum, quae alter a te patitur, saepe nullam vel leviorem ob causam. Propone ergo in posterum rationis rectae dictamen sequi, non affectum corruptum, et Dei imaginem rationalem honorare, cavendo ab iis, quae ei sunt contraria et nociva.

Punctum III. — Considera tertiam radicem peccatorum venialium esse: debilem fidem, obfuscatam a pravis affectibus, de Dei praesentia, omnia intima nostra intime aspicientis. Nam si non audemus peccare, altero, quem reveremur, spectante, nunquam auderemus admittere ullum veniale in oratione, in recreatione, in schola, in campis, in cubiculo et alibi, si vivax in nobis esset fides, Deum esse praesentem et nostra omnia considerantem et videntem. Hic quoque agnosce, te vel non credere hoc dogma fidei de Dei videntis omnia occultissima reali praesentia, vel si credis, te pluris facere Superioris v. g. vel alterius personae oculos, quam oculos Dei; quod an non sit Dei contemptus, perpende, et debitam propone emendationem. Sic et alia videris non credere, quod scilicet tam severe peccata puniat.

Colloquium, ut supra.

MEDITATIO XIV.

DE INFERNO.

[QUARTO DIE: SECUNDA].

PUNCTUM I. — Considera gravitatem poenarum inferni ex punctis illis, quae ponuntur in exercitio de inferno. Ad quam magis penetrandam perpendenda est: 1°, poenarum aeternitas; 2°, intensio: erunt enim maximae in suo genere; 3°, immutabilitas: quia temporis progressu non minuetur eorum sensus; 4°, universalitas: quia erunt ubique in omnibus sensibus, membris, potentiis internis et externis; 5°, unio: nam simul erunt omnes, et una non succedet alteri; 6°, carentia omnis consolationis et recreationis; 7°, continuitas: quia non tantum erunt per totam aeternitatem, sed nunquam interrumpentur; 8°, societas: quia erunt aliorum damnatorum poenae ejulatusque molestissimi. Hinc concipiendus timor inferni et odium peccati, quod est ejus causa.

PUNCTUM II. — Considera profunde hanc rem: Si Christus animam aliquam liberaret ex illis poenis, quid Christi causa non faceret in hoc mundo? quid non pateretur? nominatim: 1°. Nonne abstinere curaret ab illis peccatis et negligentiis, quae te reddunt tepidum et non aedificativum? 2°. Nonne ei viderentur dulcia et rationabilia, quae te adeo molestant et quae tibi videntur non ferenda ullo modo in hac vita, vel religionis statu? Ita sine dubio. 3°. Nonne libenter illos labores, et occupationes, et loca amplecteretur, a quibus tu adeo fugis?

Punctum III. — Considera majus beneficium in te contulisse Deum, non detrudendo te toties ad infernum, quo dignus eras, quam conferret liberando aliquam animam ex inferno: quia hujus beneficium esset, carere illis poenis; atqui tu etiam illis cares; praeterea, habes beneficium aliud, quod illa non habuit: quia non es passus illas poenas. Si ergo illa anima ad tria illa posita in secundo puncto se resolveret efficaciter, quanto magis tu debes te resolvere: quandoquidem majore beneficio es cumulatus? Resolve ergo te saltem ad illa tria; quin etiam plura adde heroica, quae correspondeant tantae Dei erga te charitati et tam multis demeritis tuis et peccatis, aeternis ipsis cruciatibus dignissimis.

In colloquio gratias age Deo, quod te non damnavit, toties dignum inferno; defle peccata praeterita; pete veniam; adhibe intercessores; propone emendationem et satisfactionem pro illis, per tolerantiam omnium amaritudinum et molestiarum, quas pati potes in hac vita: siquidem sunt minores poenis inferni etc.

MEDITATIO XV.

De morte in genere.

[QUARTO DIE: TERTIA].

Punctum I. — Considera necessitatem bene moriendi, quae major est ad vitam aeternam consequendam, quam vita bona sine perseverantia. Considera etiam difficultatem praeparandi se bene ad moriendum in ultima aegritudine ob dolorem, morbos,

daemonis tentationes, scrupulos, separationem animae, timorem inferni etc., quae animum reddunt valde perturbatum et ineptum, non tantum ad actus intensos amoris vel doloris faciendos, sed etiam ad remissos; ad quos inepti sumus, dum sani sumus si vel deambulatione vel vigilia noctis unius debilitati sumus. Igitur nunc te parare debes ad mortem quando es sanus et vegetus.

Punctum II. — Considera: Paratusne es? Ad hoc agnoscendum examina duo: 1°. Estne aliquid in conscientia tua, cum quo, nisi per confessionem illud elueres, vel per resolutionem et consilium quaesitum elucidares, nolles ex hac vita discedere? 2°. Morererisne jam laeto, non solum quieto animo? quia etiam saeculares quiete, id est, sine periculo salutis et metu damnationis, hinc discedere debent; religiosi autem mors pluribus ornanda rebus est. Ideo resolve te ad duo: 1°, ad tollenda ea, quae te molestia vel dubitatione aliqua vexant; 2°, propone ita semper in posterum te victurum, ut quovis momento paratus sis ad moriendum, etiam non vocato confessario aut consolatore.

Punctum III. — Considera, mortuo corpore, quid proxime juvet animam? 1°. Bona opera hic facta. 2°. Intercessio Sanctorum in hac vita conciliatorum Vide ergo, quomodo in hac parte te gerere debeas

Punctum IV. — Considera: Si jam moriturus esses, viderenturne tibi insupportabilia, quae nunc vel circa gradum, vel circa quidpiam aliud in Societate videntur? Ita ergo geres te nunc, quomodo in puncto mortis te gereres circa talia.

In colloquio gratias age Deo, quod hactenus non sis male mortuus; quod Deus te toleraverit; veniam pete et gratiam bene moriendi, et simul bene vivendi et praeparandi te ad bonam mortem. Propone vitae emendationem, offer Deo hanc voluntatem etc.

MEDITATIO XVI.

De morte tepidorum.

[QUARTO DIE: QUARTA].

Praeludium I. — Imaginare te morti proximum, deque ea instante monitum a confessario.

Praeludium II. — Pete ardenter gratiam a Deo, cognoscendi nunc illum tuum statum, in quo tunc eris, et mature declinandi causas malae mortis.

Punctum I. — Considera magnos animae cruciatus, quos habebit tepidus in hora mortis ob respectum Dei: 1° quia eum tam multis peccatis offendit; 2° quia tam tepide et negligenter ejus obsequia expedivit; 3° quia propter malam vitam suam vel infernum vel purgatorium gravissimum promeritus est. Ad cognoscendos autem hos animae angores et cruciatus, bonum est meminisse multo minorum angorum, quos sentire solent vel discipuli, dum timent poenas a magistro, admisso aliquo crimine, vel subditi a Superiore, vel incarcerati et capitis rei a severo judice. Si enim poenarum istarum leviorum metus multos conturbat adeo, ut etiam sibi manus inferant, et aliqui prae timore exanimentur: quanto magis excruciabitur anima metu judiciorum Dei, ex quibus pendet tota aeternitas in

illo unico momento! Quocirca, ne sis obnoxius istis angoribus in illo momento, cogita, quid tibi nunc faciendum sit, ne divinum judicium et poenas tunc expavescas.

Punctum II. — Considera gravia impedimenta et multiplices insultus daemonis, quibus tepidum sub tempus mortis infestare solet, ut eum ad desperationem inducat. Cum enim jam breve tempus habeat daemon ad tentandum, summo conatu invadit tepidum; et quia, et ingenio pollet, et experientiam habet, et mille technas ad seducendum, validissime impugnat, et periculosissime. Ex altera parte, tunc tepidus exiguas vires habet ad resistendum: hae enim a ferventibus virtutum exercitiis — quibus ipse non vacabat ob suam tepiditatem — acquiruntur. Unde in summo periculo tepidus moritur: quia, debilis cum sit, potentissimum et astutissimum adversarium habet, et quia negligentissime vivit in Dei famulatu, coelestibus auxiliis dignus non est. Quomodo ergo tunc resistet tentationibus? Cave ergo huic periculo te exponas; mature delibera, quomodo te ad illum congressum instruere debeas, ne in certamine succumbas.

Punctum III. — Considera ipsum statum corporis et conscientiae tepidi in hora mortis. Ipsa enim conscientia, etiam sine ullo tentatore, excruciatur interno remorsu gravissime: quia ipsum lumen naturae tunc clare illi explicabit foeditatem peccatorum et tepiditatis; ideoque moerore, dolore, taedio, amaritudine, timore, erit plena anima; et quia non est conscia se diligenter Deo serviisse, non audebit erigere animam ad tantam in Deum fidu-

ciam, quanta illi necessaria est. Ex altera parte, corpus habens ob morbos languidum et semimortuum, non potest elicere actus ferventes et intensos, quibus peccata defleat, Deumque placet. Accedent varii graves scrupuli, qui desperationis tentationes valde fovebunt. Si enim nunc homines sancti et valde ferventes non raro gravissimis conficiuntur scrupulis, usque adeo, ut nec confessarii, nec Superiores possint illos quietos reddere post tot confessiones generales diligentissime factas : quanto magis tunc tepidi et negligentes, qui multas dederunt causas gravissimis scrupulis, ab iis infestabuntur? Hinc agnosce, pessimum fore tunc statum hominis tepidi in tot malis et periculis constituti. Quare nunc delibera, quomodo corrigere debeas praeteritam tepiditatem, et quibus mediis te armare ac praeparare, ne ad tam malum moriendi statum devenias.

Colloquium, ut supra in praeterita meditatione.

MEDITATIO XVII.

De judicio particulari.

[QUINTO DIE: PRIMA].

Praeludium I. — Imaginare Christum, omnibus Angelis et Sanctis circumdatum, a te in puncto mortis et vitae ultimo rationem exigere volentem, daemonibus prope astantibus et accusaturis.

Praeludium II. — Pete gratiam a Christo judice, ut tibi nunc det agnoscere ea, quae in judicio particulari tui velles non exstare in anima tua, et

ea, per media Ecclesiae relicta, quamprimum ex anima tua et ex tota vita tua abigere.

Punctum I. — Considera magis pendere salutem tuam a judicio particulari, quam ab universali: in hoc enim nemo damnabitur, absolveturve, qui in particulari non fuerit damnatus, absolutusve. Ideo danda est opera, ut examen vitae tuae in judicio particulari — quod peragetur statim a dissolutione animae tuae a corpore — bene succedat. Quid autem sit necesse ad ejus bonum successum, scies ex revocata in memoriam Ecclesiae doctrina de modo abolendorum peccatorum ex anima, et de modo satisfaciendi pro iis in hac vita, et de valore bonorum operum.

Punctum II. — Considera, in judicio particulari nullum fore locum misericordiae, sed omnia examinanda in rigore justitiae. Item tunc nulla adfutura remedia ad liberandam animam a peccatis et poenis debitis, quae nunc adhiberi possunt. Nam sacramentorum usus tunc nullus esse poterit, actus quoque meritorii nulli tunc poterunt elici: quia meriti tempus solum est hujus vitae tempus. Unde sequitur, hic quaerenda esse remedia ea, quae prodesse possunt ad hoc, ne examen severum et strictum judicis Christi te condemnet.

Punctum III. — Considera, hoc tui judicium fore omnium gravissimum maximeque terribile: sive poenam spectes, quae tunc pro peccatis assignabitur: sive judicis omnia noscentis oculatissimam scientiam: sive ejus potentiam in executione sententiae latae: sive ejus justitiam, quae nullis flecti po-

terit artibus: sive ejus rigorem in judicando. Nam idem erit judex, qui offensus fuit toties et gravissime ab iis, quos judicabit. Ideo majore timore exspectandum est hoc judicium, quam soleat exspectari ab hominibus consciis sceleris digni capitis poena. Ne autem timere cogaris hoc judicium, ea adhibe nunc, quae homines rei adhibere solent, ne in judicio justo condemnentur.

Colloquium, ut supra.

MEDITATIO XVIII.

Fructus primae hebdomadae.

[QUINTO DIE: SECUNDA].

Consideratis praecipuis propositis praeteritarum meditationum, deliberandum est coram SS. Trinitate, undique SS. Angelis circumdata et SS. Patronis, de his rebus:

I°. An debeam esse contentus, ut quotidie sine causa ulla affligar, verbis et factis, a superioribus et inferioribus?

II°. An evidentes calumnias in rebus gravibus mihi illatas et me valde infamantes debeam aequo animo, sine ullo prorsus desiderio vindictae, tolerare?

III°. An circa victum, vestitum et cultum corporis et habitationem debeam rebus vilissimis et cum magna sensuum repugnantia conjunctis, uti libenter, si ita Superiores permiserint, aut voluerint?

IV°. An debeam in omni loco, ut: civitate, provincia, collegio, cubiculo, et cum omni tali persona, a qua

maxime sensus mei abhorrent et inclinatio animi, vivere tota vita mea, si ita placuerit Superioribus?

V°. An sit aliquod tale officium, aut vile, aut molestum, in Societate, quod non debeam usque ad mortem peragere, si ita Superioribus visum fuerit?

VI°. An debeam omnia et singula facta et dicta aliorum contra meam existimationem, judicium, voluntatem, tanquam mihi convenientia et debita aequissime tolerare?

VII°. An debeam pro peccatis meis et pro poenis inferni, quas promerui, et pro beneficiis divinis, quae accepi, ita esse resignatus et paratus semper ad Dei, Superiorum, fratrum voluntatem exequendam efficaciter, ut omnia prorsus velim facere, praeter solum peccatum; et ut nihil aliud sit, quod tota vita mea nolim facere; et solum peccatum meum sit, de quo conqueri debeam, et nihil praeterea aliud?

Et cum ad haec omnia toleranda cogant te tot peccata, pro quibus his rebus satisfacere potes, et tot mala, quae Christus tui causa pertulit, his multo majora, et tot beneficia Dei in te collata, et tot praemia, quae tibi sunt praeparata, si haec tolera-veris, et status vitae religiosae, qui est status poenitentiae, hoc ipsum exigat, resolve te ad omnia supradicta, non tantum patienter, sed etiam libenter toleranda. Offer Deo hanc voluntatem in unione omnium Christi injuriarum et dolorum, passionis ac mortis ejus, peteque gratiam semper post Christum has cruces et his majores ferendi, ut ita pervenias ad coelum per multas tribulationes.

MEDITATIO XIX.

De regno Christi.

[QUINTO DIE: TERTIA].

Circa quod sufficit punctum unum meditationis cum ejus quatuor partibus ad hanc meditationem.

Considera, quibus in rebus debeas Christum Regem imitari; potissimum autem in quatuor:

I-ma. Ut quam maxime accedas ad Christi impeccabilitatem, peccando rarissime, levissime et indeliberate.

II-da. Omnes actiones faciendo quam perfectissime, hoc est, juxta quadruplicem ideam, cui te conformare debes, scilicet: juxta regulas, juxta communem et ordinarium modum procedendi Societatis juxta Superiorum directionem, et juxta lumen internum, quod tibi Deus communicat prioribus tribus ideis conforme.

III-tia. Eniti debes, ut in omnibus actionibus tuis Dei gloriam quaeras, eamque quam maximam, sicut Christus quaesivit.

IV-ta. Ut patiaris ad similitudinem Christi cum his conditionibus: 1° etiam sine ulla culpa; 2° in omnibus rebus, in quibus pati potes, et quoad corpus, et quoad animam; 3° sine cessatione, si fieri poterit, et continuo. 4° gravissima quaeque et maxime injuriosa ac molesta, praesertim propriae existimationi, proprio judicio, propriae voluntati, propriis commoditatibus corporis in cibo et potu, in loco habitationis, in ipsa habitatione, in occupationibus

et laboribus, in vestitu, ac recreationibus et similibus.

In colloquio petes veniam a Christo ob praeteritam vitam tam male transactam. Pete gratiam, quae te erigat ad novam vitam. Gratias age, quod tibi permittat, ut possis te illi reddere quam simillimum et quam proxime ad ejus in coelo gloriam accedere. Denique offeres illi aliqua peculiaria proposita, seu res, in quibus illum imitari cupis in posterum; concludendo colloquium illo responso, quod est in fine contemplationis de Regno Christi: *En, o Rex supreme, etc.* vel alio simili.

MEDITATIO XX.

De imitatione Christi.

[QUINTO DIE: QUARTA].

Oratio praeparatoria more solito.

Praeludium I. — Imaginari Christum Dominum in pulcherrimo throno coelesti sedentem a multis Sanctis, qui eum egregie in hac vita sunt imitati, circumdatum, praesertim a Sanctis Societatis nostrae; sedentem autem et a te exigentem sui imitationem, ac exprobrantem tibi in conspectu Sanctorum, quod adeo refugias ejus imitationem.

Praeludium II. — Petere a Spiritu sancto gratiam cognoscendi causas cognitione viva et efficaci, ob quas debeas Christum imitari quam perfectissime, et res, in quibus eum debes imitari, praecipuas.

Punctum I. — Considera praecipuas actiones tuas, praesertim illas, quae ad Dei cultum imme-

diatum spectant et alias circa conversationem cum proximo: an et quomodo sint similes actionibus ejusdem Christi; et postquam agnoveris valde esse dissimiles, revoca in memoriam similes actiones aliorum servorum Dei, sive vivorum, sive mortuorum, quam longe te superent Christi imitatione in actionibus suis ad Christi exemplar ordinandis. Cum ergo et tu aeque potueris esse bonus, atque fuerint illi: quia eadem habuisti auxilia, quae illi, et forte majora; caruisti illis impedimentis, quibus caruerint illi, imo forte majoribus, quam illi, inde confundere, incusa tuam socordiam, veniam pete et te emenda.

Punctum II. — Considera causas, ob quas debeas imitari Christum. Causae autem possunt esse hae: I^ma, quia etiam saeculares ad hoc tenentur: nam et illis Christus est propositus tanquam exemplar virtutum imitandum; II^da, quia omnes religios, propter hunc finem vocati sunt ad religionem; III^tia, quia hoc peculiari modo incumbit hominibus Societatis Jesu, ut Jesum imitentur, ideoque sic sunappellati; IV^ta, ipsa praestantia imitationis hoc exigit: imagini enim Dei, quae sumus nos, non est convenientior praestantia, quam esse simillimam exemplari suo; V^ta, quia in omnibus aliis occupationibus nostris terrenis procuramus esse quam excellentissimi; si versus scribimus, conamur, ut quam optime scribamus; si concionamur, vellemus hoc facere cum magno plausu; ita si disputamus etc Quam ergo indignum est, actiones viliores velle esse perfectissimas in suo genere; secus illas, quibus nos reddimus Deo similes, per quas multos gratiae et

gloriae thesauros pene quovis momento lucrari possemus, si nobis attenderemus, et divinae gratiae cooperaremur. Resolve ergo te ad seriam emendationem.

In colloquio pete veniam a Christo Jesu, quod eum hactenus non sis imitatus tam perfecte, uti debuisti; propone emendationem; postula gratiam a Christo Jesu ad vitae emendationem; invoca B. V. Mariam et alios Sanctos, ut tibi hoc impetrent.

MEDITATIO XXI.

De incarnatione et liberalitate, quam Deo debemus pro beneficio incarnationis.

[SEXTO DIE: PRIMA].

Post orationem praeparatoriam et praeludium primo faciendum pro libitu, in secundo praeludio pete gratiam a Spiritu sancto, ut penetres liberalitatem Dei in beneficio Incarnationis, et correspondeas divinae liberalitati.

Punctum I. — Considera, Deum in Incarnatione dedisse summum, quod dare potuit: nimirum divinitatem in persona Verbi, uniendo illam humanitati a se creatae, idque pro omni possibili bono tuo; cujus beneficii magnitudinem cum nec Angeli capere possint, ideo gratias age pro tanto beneficio et agnosce, titulo gratitudinis — etiamsi Deus hoc a te non exigeret — debere te factis ostendere gratitudinem erga Deum pro tanto beneficio.

Punctum II. — Considera morem nobilium et generosorum hominum; quomodo ostendant grati-

tudinem erga benefactores suos pro beneficiis acceptis: 1°. Conantur — et faciunt — majus beneficium praestare, si possunt, quam acceperint: quia, ut ait S. Thomas: *Gratiae recompensatio semper tendit, ut pro suo posse aliquid majus retribuat*[1]). Et S. Ambrosius: *Nec mensura pari, sed uberiore reddendum arbitror, et usum pensare beneficii..... Etenim superiorem non esse in referendo, quam conferendo beneficio, hoc est minorem esse... Imitanda est nobis in hoc quoque natura terrarum, quae susceptum semen multiplicatiori solet numero reddere*[2]). 2°. Non exspectant, ut benefactores ab ipsis petant remunerationem beneficii, sed statim remunerantur, si possunt. 3°. Si statim non poterant remunerari, ob id valde affliguntur et optant quam citissime signum grati animi exhibere. Si ergo erga homines his modis demonstratur grati animi significatio pro beneficiis acceptis, multo magis hoc ipsum meretur Deus, ut saltem illum ita tractemus, ut benefactores nostros. Proinde pro beneficio tanto Dei incarnati tua ista Deo praestanda sunt.

Punctum III. — Considera, liberalitatem non esse in hoc sitam, ut detur benefactori id, quod ei debetur ex aliquo contractu, vel ex mandato Domini, vel ex promissione, vel ex spe aliquid aequivalens obtinendi; sed in hoc consistit, ut des, quod non teneris dare, etiam titulo gratitudinis. Unde sequitur,

---

[1]) 2. 2. q. CVI. a. 6. c. [2]) De offic. ministr. l. I. c. XXXI. n. 160. sq.

te debere tuam liberalitatem demonstrare Deo, si non in donatione rerum, quas non teneris dare, saltem in exsequendis illis rebus, quas ei promisisti, vel ex obligatione voti, vel promittendo servare regulas et postea divinas inspirationes, ac bona proposita facta in oratione, vel lectione spirituali, vel in concione, aut exhortatione. Reflecte te ergo, quomodo in illis rebus pro tanto beneficio debeas te exhibere gratum et liberalem erga Deum, saltem eo modo, quo soles exhibere erga benefactores homines pro minoribus beneficiis.

Punctum IV. Considera cum exacta reflexione omnia difficilia, quae te hactenus afflixerunt in religione, et quae deinceps times, ne eveniant, ut sunt: non promoveri ad certos in religione gradus et officia speciosa etc.. an non mereatur Deus pro sua Deitate et humanitate tibi donata, tam multa passa sine sua culpa, ut ei donemus nunc et in posterum in quavis occasione omnia, quaecumque passi sumus, et alia possibilia, quae pati possumus. Resolve te ergo generoso animo, Deo pro te incarnato donare omnia, quae hactenus passus es, non optando ullam satisfactionem in hac vita, et ne quidem in altera, et oblivisci omnium, nec in mente tua reminisci, nec coram ullo unquam commemorare; sed perseverante silentio premere omnia, et offerre te ad omnes illas adversitates et injurias, quas Deus incarnatus in humanitate assumpta propter te passus est, patienter, libenter et cum exultatione. Praesertim cum ethnici talem erga homines voluerint esse liberalitatem, ut pro beneficio

dato nil quaerat, nil speret. Ita Aristoteles et Seneca; et aliter collata beneficia Plinius vocat viscata et hamata[1]); et Philo talem liberalitatem appellat liberalitatem piscatorum. Deinde, ut beneficium sit res aliqua eximia, data libenti et generoso animo. »Duae res, inquit Seneca, coire debent, quae beneficium efficiant. Primum rei magnitudo: quaedam enim sunt infra hujus nominis mensuram. Quis beneficium dixit quadram panis aut stipem aeris abjecti aut ignis accendendi factam potestatem? et interdum ista plus prosunt quam maxima... Deinde hoc, quod potissimum est, oportet accedat, ut ejus causa faciam, ad quem volebam pervenire beneficium, dignumque eum judicem et libens id tribuam percipiensque ex munere meo gaudium«[2]). Haec pondera lumine naturae agnita a Seneca, et proportione quadam applica ad id, quod Deo ex liberalitate dare debes: ut sit res eximia, propter eum pure, et animo libenti cum gaudio oblata.

MEDITATIO XXII.

De Christi Nativitate.

[SEXTO DIE: SECUNDA].

Prout est in exercitiis, quae locupletenda est punctis sequentibus:

Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitu-

---

[1]) L. IX. c. 30. [2]) De benefic. l. IV. c. 29.

dinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. Philipp. II, 6. 7.

I°. Considera, Deitatem in persona Verbi propter te esse exinanitam: quia assumpsit formam, id est, substantiam servi, scilicet naturam humanam; quae, cum creatura sit, serva Dei est, etiam in Christo; quamobrem Christus vocatur servus Isaiae, XLII, 1; XLIX, 3; LII, 13. scilicet, ratione naturae humanae, sano modo rem intelligendo, ut explicatur in tertia parte. Ratione hujus naturae assumptae exinanivit se Deus in his septem rebus: In aeternitate, immortalitate, impassibilitate, infinitate, omnipotentia, omniscientia, impeccabilitate; partim quia vere ratione naturae humanae factus est non aeternus, mortalis, passibilis, finitus et circumscriptus loco; partim quia ex malitia et inscitia hominum habitus est pro vero filio fabri, pro debili et impotente, et pro nesciente occulta, et pro peccatore ac malo, et cum daemonibus habente commercium. Cum ergo et titulo gratitudinis, et ob alia motiva, quae per te, adjutus a lumine Spiritus sancti, invenies, debeas pro Deo te exinanire: cogita, quibus in rebus debeas Dei causa cito et generose te exinanire, vel assumendo vere ea, quae antea non habuisti tui humiliativa, vel optando, ut de te cogitentur ea, quae tuum statum personalem dedecent et vilem faciunt, ac permittendo, ut ita tracteris, et non impediendo. Qua in re descende ad particularia, et ea Christo incarnato offer tanquam fructum ejus exinanitionis, incarnationis, passionis et mortis.

II°. Considera stabilitatem exinanitionis Dei in persona Verbi: quia naturam humanam, causam intrinsecam suae exinanitionis, arctius et fortius suae personae univit, quam sit ulla alia unio creata in creaturis. Omnes enim uniones creatae purarum creaturarum dissolvuntur et rediguntur in nihilum a rebus contrariis; ipsa omnium arctissima unio formae cum materia, etiam in homine, per mortem dissolvitur: at unio hypostatica naturae humanae cum persona Verbi, causans ei supradictas exinanitiones, nec quidem per mortem dissoluta est, juxta illud axioma theologicum: *Quod semel assumpsit, numquam dimisit.* Vide ergo, quam constanter et immutabiliter debeas ex puro Dei amore permanere in exinanitionibus tuis, in primo puncto Deo oblatis; etiamsi tibi ob illas exinanitiones Dei causa susceptas esset moriendum morte infami, sicut pro te mortuus est Dominus tuus, eo usque exinanitus.

III°. Considera extrinsecas exinanitiones, quas Christus Dominus toto vitae suae tempore suscepit tam malis tractationibus, quas passus est a Judaeis et a discipulis, etiam a domesticis, a quibus habitus est pro stulto, eo usque, ut eum ligare voluerint. Admirare cor Christi adeo insatiabilem habens amorem exinanitionum, et confer omnes tuas, quas passus es, adversitates et difficultates molestas amori proprio tuo: agnosces enim, esse nullius momenti respectu exinanitionum Christi pro te susceptarum. Resolve ergo te ad induendum cor Christi; ut, sicut ille tui causa, patienti, libenti et laeto animo, tot

exinanitiones suscepit per triginta quatuor annos, ita tu longe minores deinceps suscipias reliquo vitae tempore, sine fuga earum, sine murmuratione, sine querelis, imo sine simplici commemoratione, sed cum perpetuo coram hominibus silentio, et ne quidem coram Deo de iis expostulando.

Colloquium institue, 1°. agendo gratias singulis divinis personis, quae ad Christi exinanitiones suis modis concurrerunt, permittendo multa eum pati, et volendo, ut naturam humanam susciperet, fontem ejus exinanitionum. 2°. Age gratias Christi humanitati, quae ita exinanita et tanta passa est tui causa. 3°. Dole, quod tua peccata fuerint occasio istarum Christi exinanitionum. 4°. Detestare tuam ingratitudinem, quod non corresponderis Christo exinanito toleratione tuarum adversitatum et difficultatum. 5°. Offer SS. Trinitati per Christum resoluta proposita de amandis deinceps et non declinandis ullis exinanitionibus tuis, quae tibi domi vel inter externos contingent. 6°. Pete efficacem gratiam haec proposita semper exsequendi. 7°. Roga Christum tui causa exinanitum, ut te per viam exinanitionum, quam ipse tenuit, ducat ad perfectionem et ad coelum, et exemplo S. Catharinae Senensis renuntia Christo exinanito pro te coronas aureas bonarum de te opinionum, bonae famae, rerum, officiorum et graduum honorificorum, et libertatis tuae usum in rebus eligendis, et amplectere spineas coronas rerum illis contrariarum. 8°. Invoca B. Virginem, Angelum custodem, et omnes Sanctos, ut suis precibus te ad haec omnia juvent.

MEDITATIO XXIII.

De duobus vexillis.

[SEXTO DIE: TERTIA].

Prout est in exercitiis.

In hac meditatione hoc maxime curandum est, ut excitetur affectus ad vocationem in Societate et magna opinio de illa, tanquam de Ordine, ipsius Christi et Apostolorum vivendi modum exprimente. Deinde ardens desiderium, et in se et in aliis, illa quam perfectissime et citissime exstirpandi, quae daemon plantare nititur, et inserendi illas virtutes, quas praecipue Christus a nobis exigit; potissimum autem has: puritatem cordis, amorem paupertatis, contemptum nostri, desiderium et amorem perpetuae crucis, magnum fervorem et diligentiam in devotionis exercitiis, et exactam observantiam illarum regularum, quas aliqui parvas appellant et saepius transgrediuntur.

MEDITATIO XXIV.

De tribus gradibus humilitatis.

[SEXTO DIE: QUARTA].

De quibus in exercitiis.

Ex tribus gradibus humilitatis, prout sunt positi in libro exercitiorum, sunt tria puncta; in quolibet autem graduum horum considera diligenter duo:

I°. Causas seu motiva, ob quae debes ita vivere, prout exigit quilibet horum graduum.

II°. Quomodo hactenus vixeris? Si non juxta hos gradus, dole, defle tuos mores, propone emendationem; si juxta eos vixisti, Deo age gratias, pete perseverantiam in tali modo vivendi, et te magis cum divino auxilio in his gradibus perficere stude.

Qui vero faciunt exercitia, maturi in religione et perfectius viventes, quam tirones et alii, secundum et tertium gradum diligenter ponderent in meditatione: sunt enim omnibus in quovis gradu et statu valde necessarii, et magis senibus quam juvenibus, propter multas occasiones rerum adversarum, quae minus senes quam juvenes deberent impetere, sed solent eos magis invadere, si sunt Deo cari et perfectius viventes quam alii.

MEDITATIO XXV.

De tribus religiosorum classibus seu differentiis.

[SEPTIMO DIE: PRIMA].

I°. Considera, quosdam in religione esse, qui praeter habitum et caeremonias exteriores et actus, quos obeunt in oculis aliorum, aliud non curant. Nam et vota non servant, dum possunt ea violare aliis non cernentibus; et regulas non servant, dum eas possunt nullo cernente transgredi. Vide, quam sint infelices tales; tum propter alias causas, quae tibi occurrent; tum quia tales nec commodis saeculi fruuntur, uti alii saeculares, nec bonorum religiosorum gaudent privilegiis, quae a Deo concedi solent pie in religione viventibus. Unde illis congruit illud

dictum S. Basilii: *Et senatorem perdidisti et monachum non fecisti* (vid. pag. 49). Tu an sis, vel fueris ex hac classe, vide; et ne sis, stude; et si fuisti, dole, veniam a Deo pete et te emenda.

II°. Considera, alios esse in religione, primis meliores, qui curant utcunque vota sua et regulas servare, sed nec omnes, nec cum ea perfectione, uti deberent, et tepide sua expediunt, et magis sunt solliciti, ut occupationes sibi impositas cum applausu hominum expediant, quam ut sint perfecti et sancti. Ideo toti sunt in parandis rebus pro suis occupationibus necessariis, et totos se iis immergunt, vel docendo, vel studendo, vel concionando, vel gubernando alios. Unde fit, ut vix aliquando cogitent serio et cum applicatione animi ad proficiendum in dies in virtutibus. Hi quam sint etiam in statu malo, considera: spectato fine, ob quem ad religionem vocati sunt, et mediis, quae habent ad finem consequendum et ad evangelicam perfectionem assequendam. Talium an sis vel fueris e numero, vide; et, uti prius, pios decerpe affectus et resolutiones ad vitam emendandam.

III°. Considera tertiam classem religiosorum, qui sollicite conantur vivere sine defectibus duarum classium supradictarum, et fere semper in memoria habentes finem suum, ob quem ad religionem a Deo vocati sunt, magna diligentia omnes regulas, etiam minimas, servare conantur, et in omnibus eodem modo procedunt, uti solent perfecti et perfectionem omni modo curantes. Horum status felicitatem perpende; quam illi sint Deo et coelitibus

grati; quam sint grati Superioribus et bonis sociis; quam invisi diabolo et tepidis, inter quos tanquam martyres incruenti versantur, et censuris ac linguis, ac irrisionibus propter Christum proscinduntur. Sed etiam hanc ob causam perpetuo congregant sibi innumeros meritorum cumulos, coelestis gloriae coronas post mortem allaturos. Horum ut sis e numero, Deum et Sanctos ora; et quid tibi sit necessarium, considera; et resolve te ad tollenda omnia impedimenta; et praecipua annota, ut deinceps ab iis tanquam a facie colubri fugias quam longissime.

Conclude juxta tria colloquia de duobus vexillis. Amen.

MEDITATIO XXVI.

De oratione Christi in horto.

[SEPTIMO DIE: SECUNDA.]

Punctum I. — Considera quatuor angores Christi in horto orantis, separati a conspectu discipulorum, genuflectentis, et procidentis in faciem, et petentis cum resignatione, ut liberaretur ab illo amaro calice passionis, quem delicatissima ejus natura horrebat sine ulla culpa. Et tum ob praevisos clare cruciatus instantis passionis et mortis, tum ob innumeros homines damnandos ipsorum culpa, quos praevidebat non fore participes fructuum suae mortis et redemptionis; tum ob dolorem, quem erat perceptura Mater ejus charissima cum aliis Apostolis et mulieribus sibi addictis, ex visa ejus crudeli

tractatione: coepit tristari, et timere, et taedio affici, et prae acerbitate horum angorum internorum agonizare. Admirare hunc Christi Deum clare videntis statum, qui tui causa ita animam suam his angoribus quodammodo comprimi voluit de industria. Adora animam ejus sic pro te afflictam; ama tui causa sic se excruciantem, et in spiritu tenero affectu osculare, gratiasque age pro tam amaro pharmaco, quod propter bonum tuum bibit in horto; et grati animi ergo resolve te ad omnes amaritudines in religione pro Christo libenter tolerandas, contrarias tuo honori, existimationi apud alios, commoditatibus tuis. Denique desidera, ut tota vita tua habeas causas, quae reddant amarum cor tuum citra culpam, ut Christo talia passo sis conformis.

Punctum II. — Considera Christi sudorem sanguineum ex vehementia horum angorum provenientem et decidentem in terram; simili modo elicias affectus, ut in primo puncto; et incusa et defle tuam impatientiam, qui, ut Apostolus (Hebr. XII, 4) loquitur, *nondum usque ad sanguinem restitisti*, et ob res parvi momenti turbas te, et tuos Superiores, et alios, saepe etiam in vocatione titubas ob nugas, cum factus sis religiosus eo fine, ut Christum imiteris. Propone ergo seriam emendationem.

Punctum III. — Considera, tam acerbos fuisse illos angores animae Christi, ut oportuerit eum ab Angelo confortari. Hinc agnosce, delicate famule et miles tanti ducis, quid te oporteat pati libenter in hac Christi Jesu militia, et statue heroico corde omnia difficillima et possibilia deinceps pati circa

occupationes, circa habitationem, circa victum, circa gradus, denique circa alia omnia.

Punctum IV. — Considera Christi defluentem sanguinem; et in eo tria perpende: 1° quam gratum fuerit Deo Patri spectaculum; 2° quam salutare fuit remedium pro nostris vulneribus et peccatis; 3° quam generoso animo pro te a Christo effusum. Et ex singulis proficere stude, et Christum imitari conare, ac cooperari, ne gratis pro te sit toties a Christo sanguis adhuc ante mortem effusus.

MEDITATIO XXVII.

De Christo in judiciis male tractato.

[SEPTIMO DIE: TERTIA].

Punctum I. — Considera Christum ex horto tanquam latronem per plateas ductum: primo ad Annae Pontificis palatium, et ibi judicatum tanquam scelestum, et alapa percussum; deinde ductum ad Caipham et concilium Judaeorum, tum ad Pilatum, inde ad Herodem, a quo iterum ad Pilatum reductus est, ubique male et injuriose tractatus, vilipensus, conviciis proscissus, Rex Regum et Dominus Dominantium, idque ob tua peccata; et tandem pejus tractatus in domo et judicio Pilati. Appellarunt enim eum: 1° malefactorem, dignum, qui ei judicandus traderetur: *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum* (Joan. XVIII, 30); 2° *subvertentem gentem nostram* (Luc. XXIII, 2); 3° Caesaris imperio perniciosum, eo quod prohiberet ei reddi tributa: *Hunc invenimus prohibentem*

tributa dare Caesari (Ibid.); 4° superbum et ambitiosum, quasi sibi immerito attribueret Messiae et Regis Judaeorum dignitatem: *Hunc invenimus dicentem se Christum Regem esse* (Ibid.). Singula horum considerans, quam fuerint ignominiosa in se, et quam repugnarint contrariis virtutibus ornatissimo, compatere Domino tuo; gratus esto; et disce frenare omnes inordinatos affectus contra proximos tuos, maxime initio, dum insurgunt: quandoquidem adeo excaecant, ut adducant homines ad accusandum etiam innocentissimos, ad involandum etiam in ipsum Filium Dei; et perpensis in te talibus affectuum malorum moribus, tuaque in iis frenandis socordia et causis ejus, propone emendationem, divino auxilio ad eos cito et fortiter frenandos invocato; et simul accendere ad omnes contra te calumnias et detractiones, Dei causa patienter, libenter et cum exultatione tolerendas, seu, ut Seneca, etsi ethnicus, loquitur: fortiter, honeste, animose.

Punctum II. — Considera animae Christi internum statum in talibus accusationibus, quales et qui in eo tunc affectus fuerint erga accusatores. Et collatis affectibus tuis internis, dum leviora pateris eaque justis de causis, et occasione a te data, confundere, Deum deprecare et te corrige.

Punctum III. — Considera Christi silentium in his omnibus duplex: 1°. quia, dum eum summi sacerdotes accusarent in multis, Jesus nil respondit; 2°, cum Pilatus dixisset: *Non audis, quanta adversum te dicunt testimonia? non respondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur praeses vehementer*

(Matth. XXVIII, 13. sq.). Excita tenerum gustum animi tui circa hanc patientiam Christi, et foedam tuam superbiam detestare, quae te fortasse ad tot mendaciis et excusationibus palliandos defectus tuos inducit, eamque exsecrare; et statue, non tantum veras, sed etiam falsas accusationes libenter pro Christo ferre, causis bene ponderatis, quae te impellere possunt, ad eas aequissimo animo tolerandas.

Punctum IV. — Considera condemnationem Christi a Pilato prolatam, cum his circumstantiis: 1°. Agnovit et fassus est publice coram accusatoribus, eum esse innocentem et ex invidia accusatum. 2°. Christum postposuit Barabbae homicidae, eum dimittens e carcere liberum, quamvis sciret, eum esse morte dignum, et Christum innocentem. 3°. Intercessionem uxoris pro Christo factam non admisit. 4°. Summo, quod tunc in more erat, supplicio crucis Christum affici decrevit. Tu hinc disce omnes tui accusationes et condemnationes in tua innocentia et in aliis occasionibus aequo animo ferre. Promitte hoc Christo pro te condemnato, et velis postponi omnibus te inferioribus, et quidem in omnibus rebus et occasionibus.

MEDITATIO XXVIII.

De iis quae Christus passus est in cruce pendens.

[SEPTIMO DIE: QUARTA].

1°. Considera magnam confusionem et pudorem, quem Christus in cruce sustinuit, omnibus prorsus

vestibus exutus pendens in aperta luce, coram innumera multitudine hominum sibi infensorum, et sine ulla etiam occasione alias ipsum irridere solitorum. Haec confusio fere majorem dolorem attulit, quam alii dolores in carne : siquidem verecundus homo mallet occidi, quam denudari, praesertim coram immundis et inimicis. Tu confundere, qui tantopere refugis levissimas confusiones coram hominibus, et tamen Deum non erubescis, cui scis nota esse peccata tua praeterita et praesentia: imo etiam in sacratissimo foro conscientiae tuae confessario quandoque ita manifestare ea, uti sunt nota Deo, erubescis, Corrige mores, et deinceps emenda, et pete a Deo confusiones, et pro hac Christi humiliatione ingentes Deo gratias age.

II°. Considera ingentem Christi dolorem in toto corpore, adeo prius flagellis et spinis lacerato, et nunc clavis perfosso, ex illisque pendente. Considera simul, causam horum dolorum esse peccata tua; ideo. que compatere sic dolenti, amplectere et osculare pendentem in tot tormentis pro te; deprecare, offer promptum animum ad tolerandum ejus causa omnia corporis incommoda; ea vero, quae saepius refugis, propone in posterum, te velle quaerere et amplecti illius amore.

III°. Considera Christi ludibria et irrisiones, quas pertulit pendens, et magnas blasphemias. Nam ut mendacem increpabant et vanae gloriae deditum et superbum, non valentem de cruce descendere, falsе se Dei filium jactantem. Ex altera parte revoca in memoriam omnia ea dicta, quae contra te possunt

dici, quam sunt levia, quam modica, quantopere tibi convenientia; et tamen vix fers aliquid aequo animo; et nihilominus pro Christi imitatore haberi cupis. Resolve te ergo ad toleranda quaevis, quae contra te dici possunt, et Domino tuo pro tot opprobriis gratias age, eumque lauda omnibus modis, magnifica, honora et ut Deum et ut hominem innocentissimum et sanctissimum.

IV°. Considera Christum in cruce pendentem in summis animae et corporis doloribus; nulla tamen solatia quaerentem, nec levamina, et summa patientia tolerantem omnia. Et hinc disce in religiosa cruce simili patientia tolerare omnia acerba pro hac ejus passione; et offer illi loco solatii in hoc ultimo agone emendationem in hoc potissimum, ne sint tibi amarae cruces religionis, et ut a peccatis, pro quibus patitur, maxime abstineas.

MEDITATIO XXIX.

DE DOCTRINIS, QUAS CHRISTUS PROPONIT PENDENS IN CRUCE.

[OCTAVO DIE: PRIMA].

S. Augustinus tractatu CXIX. in Joannem n. 2: *Lignum illud,* inquit, *ubi fixa erant membra (Christi) morientis, etiam cathedra fuit magistri docentis.*

PUNCTUM I. — Considera, primam doctrinam, quam Christus e crucis cathedra nobis tradit, esse: gravitatem nostrorum peccatorum: siquidem *attritus est propter scelera nostra,* ut ait Isaias (LIII, 5). Mortuus autem est ob peccata nostra propter qua-

tuor utilitates: 1° ut pro iis Deo satisfaceret, quia nulla pura creatura id poterat; 2° ut peccatores per merita in sua morte completa liberaret a mala vita et mundaret a peccatis commissis; 3° ut praeservaret nos a multis peccatis, in quae laberemur, nisi ejus mortis efficacia nos retineret a lapsu; 4° ut etiam pro poenis, quae debentur peccatis, satisfaceret et nos ab eis liberaret juxta dispositionem et cooperationem uniuscujusque. Hinc disce ab hoc Magistro deflere peccata commissa, cavere futura, et ex parte tua satisfacere pro commissis quoad culpam et quoad poenam, ut cooperatione tua, Christi gratiae adjungenda, reddas te capacem ad hoc, ut Christus quam plurima dona sua, et permanentia et transeuntia, applicet tibi ex infinito thesauro suorum meritorum in cruce per mortem completorum. Et huic sanctae doctrinae conformia aliqua proposita offer Christo crucifixo.

Punctum II. — Considera, secundam doctrinam Christi crucifixi e cruce propositam esse: liberalitatem Christo exhibendam in faciendis et tolerandis iis, ad quae nulla legis positivae obligatione adigimur. Cum enim Christus potuerit nobis praestare quatuor illa beneficia pro peccatis nostris collata, non moriendo pro illis, nec satisfaciendo rigori justitiae divinae, sed condonando illa sine ulla et sua et nostra satisfactione, elegit tamen mortem in satisfactionem pro nobis adeo acerbam. Ut hinc discas ea pro ejus amore et facere et pati, sine quibus posses salvari. Cogita ergo, quid ex supererogatione debeas, et tota vita tua, et his ipsis diebus,

quamprimum incipere facere et pati, quod sit aliqua ratione, non dico, aequivalens, — hoc enim est impossibile — sed dignum sanguine et morte Christi et vita ejus per tot dolores et cruciatus pro te perdita in cruce; et offer Christo crucifixo aliquas resolutiones bonas.

Punctum III. — Considera tertiam doctrinam, quam Christus tibi tradit ex cruce: amorem scilicet efficacem inimicorum tuorum, imo omnium prorsus, etiam eorum, qui non sunt digni tuo amore, et qui sunt abusi tuis beneficiis vel abusuri sunt. Siquidem Christus crucifigi et mori voluit pro omnibus prorsus, etiam pro inimicis, et pro iis, quos sua culpa praeviderat damnandos, et non usuros vel abusuros suis beneficiis. Vide ergo, quid te facere oporteat, et Christo offer bona proposita hac in parte facta.

Punctum IV. — Considera quartam doctrinam Christi crucifixi: renuntiationem omnium commodorum personalium. Nam in cruce propter te jacturam fecit bonae opinionis, bonae famae, honoris, sanitatis, quietis, commoditatum omnium, in cibo, potu, lecto, victu, vestitu, habitatione etc., etiam vitae, idque cum summis cruciatibus. Cogita ergo, quid te oporteat discere et factis tota vita ostendere, te esse verum ejus discipulum.

In colloquio: 1° invoca Sanctos, ut te juvent ad praestandas ipso opere doctrinas; 2° pete veniam a Christo ob praeterita opera contraria ejus doctrinis; 3° offer ei bona proposita; 4° pete gratiam a SS. Trinitate, ut ea exsequaris.

MEDITATIO XXX.

De tribus obligationibus nostris erga Deum.

[OCTAVO DIE: SECUNDA].

I°. Considera, primam obligationem esse: ut Deum quam maxime glorifices, et ei des consolationem, tam fugiendo omnia ea, quae illum contristant, quam faciendo bene omnia illa, quae ei praebent solatium; tum quia propter hunc finem creatus es ab illo; tum quia pro hac re accepisti a Deo tot excitamenta naturalia et supernaturalia; tum quia tam multa adjumenta dedit tibi Deus pro hac re. Vide ergo, quomodo hactenus satisfeceris huic obligationi tua vita saeculari et religiosa; et si quid desit, satisfacere stude. Quod agnosces examinando tuas actiones praecipuas, praesertim triplices, loquelas cum Deo — in sacro, meditatione, horis canonicis, coronis, examinibus — et loquelas cum hominibus tempore recreationis et extra illam, et loquelas de absentibus. Et si quid emendandum inveneris, emenda cito et plene, ut Deo hoc debitum quam optime exsolvas.

II°. Considera, secundam obligationem erga Deum esse: pati omnia adversa, quaecumque in hac vita accidere possunt contra bonam opinionem de te, et famam ac honorem, ac propriam voluntatem, judicium et commoditates; tum quia peccata praeterita merentur multo majores calamitates, ut earum tolerantia pro ipsis satisfacias; tum quia praesentes defectus tui merentur purgatorii poenas, quae sunt

graviores multo omnibus calamitatibus vitae praesentis; tum quia coelestis gloria, quae datur pro tolerantia adversitatum, meretur, ut eas toleres; tum quia Christus Dominus, et Sancti innocentissimi plura, quam tu pati possis, tolerarunt; tum quia, si haec omnia deessent, solus Dei amor, qui in talium toleratione exhibetur Deo infinito, id exigit. Resolve te ergo ad satisfaciendum huic obligationi, et eam offer Deo cum firmo proposito hoc debitum exsolvendi.

III°. Considera, tertiam obligationem esse: studium ardens et nunquam cessans proficiendi in virtutibus omnibus tuo statui convenientibus, praesertim iis, ad quae ex obligatione votorum adigeris et conditione status religiosi. Habes autem magna et motiva et auxilia satisfaciendi obligationi huic: 1° quia iste est finis tuae vocationis, scilicet perfectio acquirenda, et tua, et aliorum per te; 2° quia id facit te similem Deo, quae est summa in hac vita nostra felicitas; 3° quia accepisti a Deo innumera beneficia, quae exigunt gratitudinem a te, quam nulla alia ratione melius demonstrare potes, quam accedendo ad Dei similitudinem, qui hoc ipsum a te postulat, juxta illud: *Estote perfecti;* et: *Imitatores estote Dei;* et: *Qui non sequitur me, non est me dignus;* et: *Voluntas Dei est sanctificatio vestra;* et his similia; 4° quia Deus dedit tibi ad hoc auxilia efficacissima, scilicet auxilia gratiae et internas inspirationes, sacramenta Eucharistiae et Poenitentiae, bona exempla, Superiores, exhortationes et alia. Resolve te ergo ad satisfa-

ciendum Deo in hoc, et vide, quomodo sit tibi deinceps vivendum, ut debitum hoc Deo exsolvas.

IV°. Considera causas seu impedimenta, propter quae hactenus non satisfecisti obligationibus istis; et perpensis motivis, quae te possunt excitare ad satisfaciendum in iis Deo, resolve te efficaciter ad solvenda haec tua debita, ut et Deo des debitum honorem et consolationem, et propter eundem etiam animae tuae multa bona concilies.

In colloquio: 1°. Incusa cum magna confusione tui coram Deo, quod hactenus non satisfeceris his tuis obligationibus, quibus facile potuisses satisfacere, si ista efficaciter voluisses, ut soles velle satisfacere tuae propriae voluntati, vel gustui tuorum sociorum, quos ne contristes, non curas contristare Deum. 2°. Pete veniam de his. 3°. Promitte illi seriam emendationem deinceps, et quidem in aliquot saltem rebus praecipuis; quas ei in particulari offer, et repraesenta tanquam exsecutioni seriae et efficaci mandandas. 4°. Pete auxilium a Deo, et a Sanctis ejus intercessionem, pro efficaci exsecutione horum propositorum. 5°. Gratias age Deo, quod te tamdiu toleraverit patienter in his delinquentem, et qui ob tuos defectus non cessarit tibi benefacere modis innumeris. 6°. Ideoque extolle et lauda ejus patientiam et beneficientiam, dicens vel Ps. CII. qui incipit: *Benedic, anima mea, Domino, et omnia quae intra me sunt nomini sancto ejus* — qui psalmus deberet saepius a te recitari in hunc finem — vel: *Magnificat anima mea Dominum.*

MEDITATIO XXXI.

AN JUXTA PROPOSITA PRAETERITA MERITO FUGIENDI SINT PRAECIPUI DEFECTUS TREDECIM ANNOTATI.

[OCTAVO DIE: TERTIA].

Praemissis praeludiis proportionatis, et in genere revocatis in memoriam praeteritis propositis, practice delibera, adinventis variis motivis, quantopere hi defectus sint vitandi a te in religione:

I°. Aegre ferre, si ab altero deferaris ad Superiorem (reg. 9. Summ.).

II°. Rem scandalosam in altero deprehensam, vel noxiam, non deferre Superiori (reg. 10. Summ.).

III°. Vetare alteri, ne quid Superiori dicat, sive ultro, sive interrogatus.

IV°. Non respondere Superiori sincere, sed rem occultare, etiamsi interroget.

V°. Officiales immediatos, ut sunt Subministri, non revereri, eis obloqui, non obedire aeque prompte ac Superiori majori (reg. 38. Summ.).

VI°. Mentiri deliberate.

VII°. Detrahere proximo, ejusque res elevare.

VIII°. Contra Superiorum ordinationes murmurare, saltem mente.

IX°. Excitare alios ad non servandum ea, quae sunt a Superioribus constituta ad facienda aliqua, vel non facienda.

X°. Contendere cum aliquo et inquiete vivere.

XI°. Amicitias privatas, vel secreta conventicula inire.

XII°. Legere libros lasciva continentes, praetextu falsae necessitatis, uti sunt libri poetici, anatomici, vel medici etc.

XIII°. Schedas litterasque occultas scribere, vel oretenus significare alteri absenti ea, quae Superiorem quis scire nollet.

Colloquium facies offerendo Deo voluntatem fugiendi hos defectus, invocatis Dei et Sanctorum auxiliis.

MEDITATIO XXXII ET ULTIMA.

Summa praeteritarum meditationum.

[octavo die: quarta].

Punctum I. — Revoca in memoriam proposita praecipua meditationum praeteritarum omnium in his exercitiis, singulorumque vim, sensum, latitudinem, pondera; et tandem ea omnia renova, et per manus beatissimae Virginis, Angelo tuo custode, S. Ignatio, aliisque Patronis tuis assistentibus, ea SS. Trinitati offer.

Punctum II. — Considera excellentiam, utilitatem, necessitatem, quae est in perfecta exsecutione horum propositorum; quam facilius agnosces, si intime penetraveris et virtualiter in mente habueris impressum finem, propter quam ad Societatem Jesu vocatus es; satisfactionem, quam Deo debes pro peccatis tuis; compensationem, quam teneris Domino tuo facere pro te non detruso ad infernum vel purgatorium ob tua peccata; gratitudinem, quam debes ostendere pro Christi passione et morte et aliis

beneficiis divinis; denique necessitatem ita vivendi, ut semper sis paratus, sine confessarii opera, sistere te in judicio et tribunali Domini Dei tui.

PUNCTUM III. — Considera, plus facere et pati homines pro mundanis desideriis, caducis, transitoriis, valde noxiis, assequendis, quam tu pati possis pro exsequendis his bonis propositis. Quid enim non faciunt et patiuntur rustici in pagis, famuli aliorum, mercatores, rectores, nautae, milites, et alii? Et non erit aeque dignus Deus tanta in te diligentia, quanta diabolus, quanta mundus? Agnosce aliquando caecitatem et duritiem tuam, et trade te Domino tuo eo modo, quo ipse expetit propter bonum tuum; offer te, pete gratiam pro exsecutione.

MEDITATIO

DE QUATUOR STULTITIIS HOMINUM, SEU DE QUATUOR CAECITATIBUS.

[PRIMO DIE POST OCTIDUANAM COLLECTIONEM CONSIDERANDA].

I°. Considera, magnam esse stultitiam et caecitatem mentis, pluris facere incarceratum ob crimen laesae majestatis, quam regem ab eo laesum et ejus judicem futurum. Tales sunt, qui, ne offendant vel contristent hominem, offendunt Deum, respectu cujus homines omnes, etsi nunquam peccassent mortaliter, sunt rei laesae majestatis, saltem ob peccatum originale, quod sibi esse dimissum certo et infallibiliter nemo scit, nisi ei Deus revelet. Quocirca resolve te ad honorandam infinitam Dei majestatem

in hoc, ne quidquam facias, vel omittas propter homines, seu humanos respectus, quo possis offendere Deum. Ut autem ad hoc te resolvas, investiga motiva illa, ob quae propter homines Deum offendisti, ne homines offenderes. Invenies enim, eadem et multo majora esse ad habendam majorem rationem Dei, quam hominum, et offensarum ejus, quam humanarum.

II°. Considera secundam stultitiam et caecitatem hominum eorum, qui pluris faciunt lucra minora noxia, quam majora et utiliora, rebus omnibus et circumstantiis consideratis. His sunt similes ii servi Dei, qui, cum possint faciendo aliquid boni, vel patiendo aliquid mali, lucrari praemia aeterna in coelo, non curant illa, sed malunt tunc percipere aliquam consolatiunculam terrenam cito transituram. Quod quam turpe et noxium sit, perpende, et sancta avaritia accensus, incipe congregare lucra aeternitatis, et brevi duratura contemne. Et in particulari annota et Deo offer ea, in quibus te deinceps vis emendare.

III°. Considera tertiam stultitiam et caecitatem hominum, qui etiam bona non noxia, sed utilia omnino, verum non diu duratura magis quaerunt, quam alia utilia et duratura longe diutius. Tales sunt, qui contenti mediocri bonitate, non conantur esse sancti et perfecti. Hoc quam dedeceat hominem ratione praeditum, et qui pro corpore quaerit semper meliores vestes, cibos, potum, habitationem et alia omnia; pro anima tamen sua non aeque desiderat et quaerit ei magis profutura in aeternum.

Et hinc disce, inter duo bona spiritualia et honesta semper eligere majus.

IV°. Considera quartam stultitiam et caecitatem hominum, qui pluris faciunt voluntatem propriam, quam divinam: scientes et speculative et experimenaliter ac practice, multa mala, etiam in hac vita, secuta ex propriae voluntatis exsecutione, quae non sunt secuta ex exsecutione divinae voluntatis. Quod quam foedum sit, quam etiam nostris propriis commodis noxium, perpende et proficere stude.

In colloquio: 1°. Confundere coram oculatissimo Deo. 2°. Pete veniam, ne tibi noceant hae stultitiae. 3°. Promitte emendationem seriam. 4°. Pete auxilium a Deo, ut aperias oculos ad cognoscendas tuas stultitias et eas corrigendas et ad exsequenda bona proposita facta in octiduana collectione.

CAPUT XXII.

De insigni conversione cujusdam monialis Romanae primo die exercitiorum facta, et magna vitae sanctitate ejusdem statim acquisita per exercitia S. Ignatii.

PROTESTATIO AUCTORIS.

Cum in vita virginis Mariae Bonaventurae nonnulla attingantur, quae videri possent extraordinaria et continentia futurorum praesagia, haec omnia ita lectoribus proponuntur, ut non debeant ab iis accipi tanquam examinata et approbata ab Apostolica

Sede, sed tanquam ea, quae a sola suorum actorum fide pondus obtineant, atque adeo non aliter quam humanam narrationem simplicem et historiam. Proinde sanctae Inquisitionis decretum, anno 1625 editum, et anno 1634 confirmatum, integre atque inviolate, juxta declarationem ejusdem decreti a SS. D. N. Urbano Papa VIII. anno 1631. servari a me omnes intelligant: et omnia in eo statu a me relinqui, quem seclusa hac lucubratione obtinerent.

Ut agnoscatur melius fructus exercitiorum spiritualium S. Ignatii, et qua praeparatione animi aggredienda sint, et qua diligentia peragenda, et ad quos fines dirigenda, magnae auctoritatis viris suadentibus, statui describere insignem cujusdam sanctimonialis conversionem ad vitam valde sanctam, horum exercitiorum beneficio repente, per singularem Dei gratiam, subsecutam. Unde quivis intelligere poterit, quibus viis et modis ipse quoque possit, Dei ope, ad altissimos perfectionis gradus ascendere ductu exercitiorum, quando videbit unam virginem, vix inchoatis exercitiis, primo eorum die admirabiliter esse mutatam in alteram, et uno pene momento tot assecutam esse virtutum heroicarum apices, quos multi multorum annorum spatio non attingunt.

Exstat Romae monasterium, Turris-speculorum appellatum, pluribus quam centum e prima romana nobilitate virginibus refertum, et magnae probitatis fama, eaque non inani celeberrimum, a S. Francisca Romana fundatum, Ordinis S. Benedicti. In hoc

monasterio anno 1626, vixit ex nobilibus orta parentibus romanis virgo Maria Bonaventura, insigni specie corporis et raro ingenii acumine ac judicio praedita, astrorum cognitione et scribendorum italice versuum peritia ornata, et ob generositatem animi ac morum suavitatem cum eximia prudentia conjunctam omnibus valde cara, sed spiritualibus rebus ac personis parum addicta, ne dicam ab iis abhorrens, et laetis conversationibus cum domesticis et saecularibus plus aequo dedita. Haec, cum casu quodam mihi — quem alias fugiebat — confiteri coepisset, videremque in ea indolem naturae ad praeclara quaeque aptissimam, traditurus Superiorum jussu multis in eo monasterio monialibus spiritualia exercitia, suasi Mariae Bonaventurae, ut iis ipsa quoque se sineret excoli. Restitit initio et cum cachinno quodam consilium meum rejecit. Tandem aliis quoque monialibus suadentibus manus dedit, valde tamen repugnante natura, quam ut vinceret — quemadmodum ipsa mihi postea dixit — pro Dei amore, ea ut ipsi quoque traderem, me rogavit; atque hac ratione se praeparavit ad illa.

1°. Cum praeteritae vitae rationem sensisset in se a rebus divinis abhorrentem, diffidens penitus viribus propriis, se totam divino magisterio et directioni subjecit, sperans se non derelinquendam a Deo, ob cujus purum amorem, et conscientiae suae quietem, ac religiosae vitae progressum, sibi insolitum antea eligebat secessum, et tam diuturnum meditandi laborem, ac arcti silentii rigorem, et exactam temporis bene collocandi custodiam.

II°. Excitavit in se magnum laetitiae affectum tres ob causas. Primo, quod amplam sibi videret a Deo fieri potestatem tractandi libere cum eo de majoris momenti negotiis, quam soleant subditi ad conspectum regum admissi. Praeterea gaudebat, se toto exercitiorum tempore nil tractaturam aliud, quam suae salutis et perfectionis negotium, a quo videbat beatam pendere aeternitatem. Hanc quoque laetabatur ob causam, quod copia sibi fieret diutius agendi cum Deo, omnium amicorum et benefactorum maximo, cujus sciebat esse delicias cum hominibus versari.

III°. Quam adhibuit, dispositio ad peragenda exercitia fuit: firmissimum animi propositum vincendi naturae repugnantiam a solitudine et silentio abhorrentis, et omnia ad exercitiorum culturam spectantia quam diligentissime exsequendi, et directoris consilia sequendi in omnibus.

IV°. Denique liberalissime se totam obtulit Deo, ut in ea tanquam in candido folio scribere dignaretur, quaecunque deinceps vellet ab ea sive deseri, sive vitari, sive emendari ac perfici, sive inchoari et fieri. Quam liberalem sui oblationem nulla exceptione, nullis limitibus voluit circumscribi, sed plene in omnibus totam libertatem suam divinae voluntati conformari, et quantum sibi liceret, ejus beneficio gratiae quodammodo adaequari.

His quatuor affectibus armata in apertum cum natura ac daemone certamen descendit, et ipso mensis Martii initio anno 1626 exercitia inchoavit; quorum primo die, cum per horas aliquot summa

mentis attentione ponderasset exercitiorum principium ac fundamentum, in eoque penetrasset finis, ad quem creata erat, excellentiam, et mediorum sibi divinitus concessorum et a se neglectorum multitudinem et efficaciam ad consecutionem hujus finis, deplorato imprimis tam insigni beneficiorum abusu et neglectu, gratiisque Deo actis pro tam nobili suae creationis fine ac praestantia mediorum, imploratisque divinis auxiliis, sibi ad quaerendum hunc per media finem, necessariis: tanto repente lumine et fervore divinitus se repletam sensit, ut se generosissime resolverit ad ineundam deinceps perfectissimam vivendi rationem, a vita anteacta prorsus diversam. Stabilita coram Deo hac resolutione, illo ipso die me adiit, et successum meditationum narratura, sic exorsa est: »Pater, non oportet amplius jocari cum Deo; agnovi quid a me velit Deus, quid nolit: volo tota esse Dei et totis viribus conari, ut ob majorem Dei gloriam, sine ulla mora, sancta evadam, non qualiscunque, sed magna et cito.« Cum autem ei dixissem, quae tunc occurrebant et dicenda videbantur, laeta abiit, et re cum nullo communicata, pulcherrimo quo solebat — non femineam sed virilem elegantissimi scriptoris manum referente — charactere, talem sui oblationem scripsit italice, post mortem ejus primum inter ejus scripta a domesticis inventam:

Ego Maria Bonaventura, serva indignissima Crucifixi, qui motus infinita sua pietate dignatus est hoc die veneris, quarto Martii 1626, dum exercitia

facio, dare mihi tantum robur, post multas et infinitas inspirationes, quibus ingrata semper restiti, convicta tandem a divina gratia, in conspectu sanctissimae Trinitatis, beatae Virginis meae Matris, sanctae Franciscae, et sanctae Mariae Magdalenae, meae peculiaris advocatae, et totius curiae coelestis, propono tibi et offero, Jesu Sponse animae meae, a me infinities offense, nunquam amplius tradendi affectum meum ulli creaturae extra Deum, ubi agnovero intercedere offensam et tui servitii remoram: quod desidero et propono obire cum maximo quo potero fervore, adjuta divina gratia tua, sine qua cognosco me ne quidem unam cogitationem posse dirigere ad coelum. Et hanc oblationem, Deus meus, et propositum, quod facio, avellendi me a rebus omnibus, quae me possunt a tuo sancto elongare servitio, tam libenter facio, ut si post mea obsequia, tota vitâ mea impensa tibi, volueris me detrudere ad infernum, ero contentissima, dummodo in me tua sanctissima voluntas adimpleatur. Quocirca scripturam hanc meam meae propriae manus, tibi dono et consigno, Jesu Creator et animae meae Redemptor, eamque in tuo sanctissimo latere depono, rogans per pretiosissima merita sanguinis tui, ut mihi condones omnia peccata mea: nec permittas, dilecte Deus meus, te unquam a me amplius offendi, cum amplius non sim mea, sed tota tua. Amen.

Facta hac sui obligatione perrexit in exercitiis faciendis per decem dies; quae quo fructu absol-

verit, paulo post apparebit. Interim hoc de ea sancte affirmare possum, me nec in confessione sacramentali illius, — quam coram me solo faciebat — nec dum redderet rationem meditationum et omnium aliarum occupationum, ullum prorsus deprehendisse in ea, ne minimum quidem, veniale peccatum, toto illo decem dierum spatio ab ea in exercitiis commissum.

Porro praeter particularia proposita, quae tunc fecit, haec quoque fecit generalia.

Primum fuit: Conservandi animam in summa, quae posset reperiri in hac vita, puritate; cujus hos veluti quinque gradus sibi praefixit:

1°. Purgandi animam a praeteritis peccatis bona confessione, et vitandi quodvis peccatum veniale, praesertim deliberatum.

2°. Abstinendi etiam a peccatis materialibus, hoc est, a rebus talibus, quae in se malae videntur, sed culpam et Dei offensam conjunctam non habent, dum fiunt ex primi motus impulsu, sine advertentia rationis et usu liberi arbitrii.

3°. Attendendi passionibus naturalibus, ut non tantum ad culpam non pertraherent, sed neque quietem animae perturbarent.

4°. Abolendi obligationem poenarum temporalium per media in sancta Ecclesia usitata, quo ita puram conservaret animam, non tantum a macula culpae, sed etiam a ruga poenae.

5°. Vitandi etiam res in se non malas, tales tamen, quae a prudentibus et sanctis improbantur, uti est: manuum non necessaria agitatio in inceden-

do vel loquendo, pedum decussatio, aut nimia in sessione protensio, et his similia ad morum urbanam honestatem ac decorem spectantia.

Secundum generale propositum ab ea in exercitiis factum fuit: Omnes internas et externas actiones suas faciendi plane et adaequate juxta lumen sibi divinitus concessum et concedendum, quoad finem, modum et circumstantias earum, ac omnem possibilem perfectionem a se cognitam, habendo pro idea operandi non tantum Sanctos eximios, sed ipsum Christum incarnatum.

Tertium propositum universale fuit: Amandi crucem in omnibus ac per omnia, cum desiderio patiendi quam plurima pro Deo, et in occasionibus patientiae tolerandi omnia sine excusatione et defensione, et nulla re leviorem reddendi crucem; quin potius omnem possibilem amaritudinem et afflictionem, quantum licet et decet, aequo, patienti, et libenti animo ferendi.

Quartum generale propositum fuit: Procurandi cito magnam sanctitatem, idque non alium ob finem, quam ut ea cederet in quam maximam gloriam, consolationem et gustum Dei et commendationem ac fructum meritorum Christi ac nostrae redemptionis dilatationem. Quae omnia illa desiderabat tam puro et defaecato affectu, quamvis postea nullo hanc ob rem praemio afficeretur divino.

Ad haec proposita exsequenda tanto affectu ferebatur, ut ardere videretur ferventissimo desiderio illa quam perfectissime exsequendi. Hinc ortum est, ut ab eo tempore, non solum exacte obediverit

confessariis suis perfectiora suadentibus; sed etiam omnibus inspirationibus divinis, quarum nullam prorsus per reliquum vitae tempus respuit, nullam distulit; sed omnes omnino, nulla excepta, etiam in difficillimis rebus perfecte exsecutioni mandavit.

Hoc ipso tempore, beneficio exercitiorum, adeo se immutatam persensit, ut prorsus omnes inordinatae affectiones — multorum licet annorum consuetudine in ea roboratae — ex ejus animo excesserint, idque tam perfecte, ut non tantum non placerent ea, quae ei antea erant in amoribus, sed vehementissime displicerent et tanquam res foedissimae et amarissimae sensibilem quandam nauseam illi moverent.

Praecipuum ejus post absoluta exercitia studium fuit, quinque supra dictos puritatis gradus attingendi; ideo per quotidianas vitae Christi meditationes, per fugam occasionum peccandi et otii, per spiritualium librorum lectionem, per observantiam exactam silentii et mortificationem quarundam repugnantiarum, per accuratam sensuum custodiam — praesertim oculorum — per ternam vel quaternam in quavis hebdomada sanctissimae Eucharistiae sumptionem, per assiduam implorationem divini auxilii, maxime vero per considerationem praeviam eorum, quae faciebat et dicebat, cum quadam reflexione ad modum operandi et loquendi conjunctam eo, Deo adjuvante, pervenit, ut a deliberatis venialibus peccatis esset libera, saepe vero nullam ad confessiones adferret absolutionis materiam, sed aliquid ex vita anteacta confiteri cogeretur, nec in

plures, quam in duos aut tres ad summum, laberetur indeliberatos defectus per totam hebdomadam, eosque levissimos, dum interdum — quod raro accidebat — ob humanae fragilitatem naturae a perfectissimo operandi modo recederet.

Nunquam postea de ulla re questa est, nunquam ab ullo casu perturbata, — quamvis multas haberet et justarum querelarum et perturbationum causas; — nunquam deinceps etiam minimam temporis partem otiose traduxit; nunquam ullius dicta vel facta verbo vel sola mente perstrinxit; nil unquam in ullo etiam specie zeli improbavit; nunquam ullam personam accusavit; nunquam ullum ullius defectum alteri narravit; sed excusabat et commendabat omnia, quae morum alienorum non aequi censores vel mente vel lingua improbare solent.

Porro tantus in ea castitatis perfectissimae amor deinceps enituit, ut a primo die exercitiorum usque ad vitae suae ultimum nullum prorsus veniale peccatum, aut sine peccato defectum in materia castitatis et honestatis admiserit. Et quo magis puram conservaret animam, ab omni, etiam involuntaria, impuritatis imaginatione, rerum etiam non malarum, sed naturalium: statim quasdam pias imagines valde pretiosas, a magni nominis antiquis pictoribus miro artificio pictas, sibi antea valde caras, e sua cella eliminavit, eam tantum ob causam, quod parvula sanctarum personarum corpuscula, aut nuda, aut non plene tecta repraesentarent. Nunquam postea — uti antea solebat — usa est rebus odoriferis vel pretiosis, solo tantum argenteo cochleari et furcinula retenta.

Omnes libros spiritualia non tractantes, sed profanas historias, abjecit. Ab omni etiam honestissimo tactu aliarum monialium et vestium illarum abstinuit. Cum autem antea experta esset, colloquia cum saecularibus mundano pulvere corda religiosa respergere, ab illis sese penitus abstraxit, nolens etiam cum sanguine junctis — nisi valde raro et brevissime, ac tantum de necessariis rebus — colloqui; qua in re magni quidam humani respectus generose ab ea conculcati sunt, dum ne semel quidem ad suum colloquium admittere voluit quosdam saeculares illustres, quorum praesentia olim magnopere delectabatur.

Eandem ob causam, contra pristinum suum morem, nulla ulli misit munuscula, nec ab aliis sibi missa admisit, et in ipso monasterio omnia prorsus colloquia de rebus indifferentibus, et extra necessitatis — dum aliquam visitaret infirmam — officium, repudiavit tam constanti proposito, ut ne quidem confessarios alloqueretur alias ob causas, quam petendi consilii, aut absolutionis sacramentalis impetrandae. Quo vero plenius se divinae Majestati dicaret, capillos, quibus antea prolixioribus delectabatur, penitus ad ipsam capitis cutem abscidit, omnemque suppellectilem curiosam et pretiosam, ac superfluam abjecit, exiguo laneo vel lineo vestitu retento; omnes quoque flores, etiam artificio humano — in quo ipsa mirifice excellebat — efformatos, extulit e cella, etiam reliquiarium et crucem argenteam, contenta solo e vilissima materia sacculo, in quo inclusas pauculas Sanctorum reliquias, et S.

Eulaliae iconculam, ac duo S. Caroli et S. Franciscae numismata, ac vota sua scripta, et quandam sui oblationem Deiparae Virgini factam e collo gestabat.

Peculiari conatu dabat operam, ut omnes temporis partes in meritoriis operibus transigeret; ideoque singulas actiones Deo offerebat ob perfectissimum charitatis motivum: ipsum nimirum Deum pure propter se amatum, sine ullo respectu praemii etiam coelestis. Conabatur omnia facere plene juxta lumina divinitus sibi indita de modo operandi. Omnia, quae faciebat, cum eximio fervore facere conabatur et cum internis actibus valde intensis et ardentibus, ut eo majorem Deo gloriam gustumque praeberet.

In actionum delectu eas peculiari studio seligebat, quae viderentur perfectae magis, magisque necessariae ac meritoriae.

Totum tempus, quod ei supererat ob officiis manualibus monasterii sibi injunctis, in oratione expendebat; cui quidem in loco sanctissimae Eucharistiae quam propinquissimo vacabat, tanto affectu, ut nulla alia occupatio non superiori parti animi tantum, sed inferiori quoque aeque placeret; ita sibi ejus animam et corpus divina Majestas adstrinxerat statim in exercitiis spiritualibus et deinceps.

In officiis quoque manualibus perpetuo precari videbatur. Nam praeter frequenter iteratam eorum oblationem, non tantum unitam Deo mentem in iis habebat, sed plenam intensis erga Deum affectibus cum certo quodam ardore bullientis cordis et divina

charitate aestuantis. Qua in re angelicos imitabatur spiritus, qui ita rerum creaturarum attendunt custodiae, ut a divini vultus intuitu ac fruitione non recedant. Cum autem sciret, verissimam esse illam sancti Ignatii sententiam: *eos, qui se liberales exhibent Deo, Deum quoque erga se liberalem experiri:* et fama esset, in opinione Navarri fundata, monasterii illius virgines nullis religiosis votis obstringi, concepit Maria Bonaventura certam verborum formulam, et tribus: paupertatis, castitatis et obedientiae votis sese in perpetuum obstrinxit, ac illa descripta in chartula ac in reliquiario suo inclusa gestavit in pectore, cum alia quadam epistola pia sinceritate scripta ad beatissimam Virginem in coelo existentem, his ipsis italicis verbis:

In sanctissimae Trinitatis conspectu ego, Maria Bonaventura, constituo haeredem meam beatissimam Virginem Mariam, cui facio perpetuam et irrevocabilem donationem animae, cordis et corporis, omnium potentiarum mearum et sensuum, et propono, deinceps me nolle iis uti, nisi juxta beneplacitum ejus, et in hujus rei testimonium voco meum Angelum custodem, matrem meam S. Franciscam, et S. Mariam Magdalenam, et omnes sanctos advocatos meos, ac totam curiam coelestem. Mea propria manu, 5. Augusti 1626.

His votis ac sui rerumque suarum donatione Deo arctius adstricta, coepit liberaliorem quam antea Dei experiri manum, tum in aliis rebus, tum in triplici gustu, ad quem in gradu valde alto repente pervenit.

Primus erat perpetuus gustus Dei et rerum divinarum; cujus beneficio nullum prorsus, etiam involuntarium, taedium in oratione, lectione spirituali, longis concionibus, in omni denique alia occupatione spirituali sensit; quibus rebus totam sese impendebat, quantum per monasterii officia licuit, praesertim quotidianae multas horas continuas meditationi dabat, in qua corpus ipsum quoque adeo morem gerebat animae, divinis amoribus immersae, ut ipsum quoque sensibiliter exultaret, dum rebus divinis vacare permitteretur. Quod in Maria Bonaventura est mirabilius: quia antea nec sacro ad horae dimidium pertingenti assistere volebat, ideoque sacerdotes semihoram in sacro faciendo attingentes olim fugiebat.

Secundus gustus ei divinitus inditus erat erga virtutes et sanctitatem; cujus tanto desiderio aestuabat, ut sine ulla alia praevia consideratione et ponderatione causarum ad studium virtutis impellentium, sola simplici et instantanea apprehensione alicujus virtutis, statim sine ulla mora, ejus amore et efficaci voluntate eam exsequendi raperetur, eo ipso modo, quo S. Bernardus viros perfectos describens ait serm. XX. in Cantica: *Omne tanquam naturaliter et malum respuunt, et quod bonum est amplectuntur.* Quemadmodum et de nostro S. P. Ignatio apud Orlandinum (l. XVI. n. 123.) Andreas Frusius dicere solebat: *coelestem Christi gratiam in Ignatio quasi ingenitam ac naturalem videri; adeo constanter, ubique ac semper, adeoque facile modum virtutemque servabat;* juxta

praeclaram illam sancti Ambrosii sententiam, qui perfectae virtutis ait esse proprium: *ita tenere perseverantiam voluntatis, ut voluntas infantiam, usus imitetur naturam.* (In Luc. l. VIII. n. 57.) Quem virtutum omnium gustum non inanem fuisse, in heroicorum actuum, praesertim humilitatis et patientiae, apparuit occasionibus, quas summa aviditate Maria Bonaventura arripiebat, et ne in iis impediretur, obsistebat: ferens aequo et gaudenti animo graves ab aequalibus injurias sibi illatas, suique contemptum, quem maxime in votis habebat; et tunc jucundius triumphabat, cum ab aliis vehementius despiceretur et nihili fieret, ab iis praesertim, quibus antea ob morum non spiritualium, sed politicorum similitudinem strictiore necessitudinis vinculo erat conjuncta, et a quarum consortio, mutata jam a Deo in alteram, sese subduxerat.

Tertius gustus, quem in hac morum mutatione a Deo hauserat, fuit insatiabilis fames et sitis omnium adversitatum et afflictionum, praesertim bonam opinionem et famam et proprium honorem impetentium. Ideo frequentissime me urgebat, ei ut impetrarem a Deo perpetuas et nunquam cessantes semperque novas ac novas occasiones quam difficillima quaeque pro Christo patiendi. Quae quamvis ei minime deessent, — praesertim quibusdam in rebus calumniae et varii modi contemptuum et conviciorum, quibus permittente Deo exagitabatur — illa tamen, ac si nihil pateretur, plura ac majora expetebat; ea vero quae patiebatur, non tantum aequo animo, sed etiam libenti et cum exultatione

et gaudio, et adhuc gravium magis desiderio tolerabat, non sentiens in se in his crucibus ullam inquietudinem ac perturbationem animi, sed summam cum mentis jucunditate quietem.

Praeter desiderium insatiabile et amorem spiritualium crucium, vigebat quoque in ea affectus ad corporeas. Quotidie bis et per longum temporis spatium se acriter flagris caedebat; quavis hebdomada aliquoties in culina lavabat lances et ollas, idque per plures horas; praeterea quantum poterat, ingerebat se in monialium ad officia servilia receptarum labores, eos cum illis, vel cum ea non possent, pro illis subeundo. Quod ne aliquam apud alias laudis materiam pareret, clanculum, ne ab aliis videretur, id faciebat; cum vero speraret, se ob talia ab aliquibus politiculis et sub religiosa veste fastum saecularem alentibus minime laudandam, sed potius irridendam, data opera illis spectantibus, aut ligna pro usu monasterii portabat cum aliqua domestica famula, aut aliquid aliud simile faciebat, unde sperabat aut contemptus, aut confusionis et sancti pudoris materiam.

Cum quadam vice infimae monasterii famulae, habenti manus horrendas et foetida scabie infectas, inserviret, petiit a me, sibi ut liceret S. Catharinae Senensis et S. Francisci Xaverii exemplo, foetidam saniem et horridam aspectu ex ulcerosis manibus manantem sugere; quod, accepta a me facultate, ita ingeniose praestitit, ne etiam testem suae virtutis infirmam haberet: cum enim ab infirmae manibus, uti quotidie solebat, medica quaedam herbarum folia, purulento sanguine

et sanie foetente imbuta avulsisset, ut apponeret recentia, illa extra valetudinarium, nullo nisi Deo spectante, magna animi voluptate, tanquam dulciora super mel et favum, avidissime exsuxit.

Quamvis, si potuisset, omnes diei noctisque horas impendisset orationi, cum tamen videret aliquam e domesticis infirmam non visitari ab aliis et hisce piis carere solatiis ad levamen morborum, ipsa Christum in sorore honorans, aliquam orationi spontaneae horulam demebat, ut alteram jucunda visitatione ac piis colloquiis solaretur. Minime erat in conversatione morosa vel tetrica, sed graviter laeta et pie hilaris.

Vehementer optabat, ut omnes monasterii virgines, praesertim juniores, totae sese divininis ac spiritualibus rebus impenderent. Ideo praeter religiosae vitae suae exempla et ardentes pro hac re obtinenda ad Deum preces fusas, pios de rebus sacris sermones cum iis instituebat, ut hac ratione omnes ad rerum coelestium amorem et mundanarum contemptum inflammaret.

Quamvis antea nimio prosequeretur amore sibi junctos sanguine et minima eorum infelicitate perturbaretur, postquam tamen se totam, ut dictum est, Christo dicavit, ita hunc erga suos affectum repente perdomuit, ut quamvis illi gravissimis morbis vel periculosissimis litibus multorum millium jacturam minantibus afflictarentur, illa tamen ac si nulla eis communione sanguinis adhaeresceret, sine ulla perturbatione animi ac tristitia, sed cum magna tranquillitate et jucunditate animi ac vultus excipi-

ebat. Cum contigisset, ut uno eodemque tempore quinque proximi consanguinei in morbum incidissent, ei vero negata fuisset potestas a monasterii praeside infirmos illos visitandi, — quam tamen aliis monialibus similem ob causam concedi cernebat — id illa et aequo et hilari animo tulit, et tanquam divinum oraculum accepit; et cum alia monialis et aetate et auctoritate gravis se id impetraturam promisisset, obstitit omni conatu ne id peteret; quod si impetrasset, negavit illa se licentia usuram, judicans, non decere in Christi famulatu extorta per preces importunas unquam uti licentia.

Hoc quoque in ea post absoluta exercitia enituit, ut nullam prorsus rem etiam bonam, anxie desideraret aut cum quadam animi, distantis ab aequilibrio, perturbatione; sed tanquam imperatrix quaedam et domina suorum affectuum non sequebatur illos, sed eos illuc, quo Deus et recta ratio vocaret, dirigebat, et nullo prorsus casu sive proprio sive alieno perturbabatur. Hoc enim ei erat maxime in votis, ex peculiari quodam atque reflexo studio ei radicitus in exercitiis instillato, ut daret operam, praeter imitationem Sanctorum et Verbi Incarnati, ad similitudinem coelestium spirituum mentis et corporis sui statum componere, et purissima beatitatis tranquillitate, ferventem in rerum divinarum amore animum et corpus servare tranquillum.

His passibus currentem in stadio virtutum seu potius volantem, cum jam coelo maturam videret Deus, acutissima pleuritide et febris maximis doloribus, quibus per spatium quatuordecim dierum

cruciata est, plene purgatam ad se evocavit. Cum autem incidisset in morbum, nec morbi initium grave aliquod malum portenderet, a quodam Dei servo magnopere petiit, sibi ut impetraret a Deo gravissimos in infirmitate dolores, et votis potita est. Nam tam acerbos et acres tum a pleuritide tum a febribus perpessa est cruciatus, ut paucis ante mortem horis mihi dixerit, se nunquam sperasse tam vehementes et tam acutos dolores, praesertim multis ultimis horis vitae suae; quos tamen illa adeo generoso animo tulit, praesertim in acerbissima multarum horarum agonia et difficillima, ut cum metuerem ei morienti assidens, ne quid humanum ob vehementem dolorum acrimoniam passa esset, ideoque suaderem, ut si quid occurrisset, confessione expiaret, illa sincere mihi respondit: se illas omnes morborum et agoniae acerbitates, sine ullo impatientiae naevo et sine ulla perturbatione animi, immo cum magna laetitia interna et cum desiderio majorum tormentorum ac cruciatuum tolerasse; ideoque cum jussa fuisset laxare habenas gemitibus et stridoribus, uti ad levamen naturae necessarium videbatur, illa ex necessitate faciens virtutem, hos ipsos stridores ac gemitus obediendi animo permissos conjungens cum Christi patientis doloribus summo cum affectu et spiritus ardore Deo offerebat, haec saepe verba ingeminans seraphico quodam ardore prolata: *Propter te Domine, et tibi:* significans, se illos dolores acutissimos propter Deum pati, et animam suam illi offerre. Et quamvis etiam in corpore sano ac vivido non omnes

etiam perfecti experiantur diuturnum in oratione fervorem, illa tamen fere per octo horas continuas ultimas agoniae et vitae suae, perpetuo in mente conjuncta cum Deo, ardentissimis divini amoris affectibus aestuabat, acrimoniam non cessantium dolorum vincentibus; quos intus ardentes affectus cum reprimere non posset, in haec et his similia verba prorumpebat saepissime: *Cupio dissolvi et esse cum Christo; non plus Domine, non plus. O dilecte Deus, quando te videbo? accipe me, Domine; verumtamen non mea voluntas fiat, sed tua.* Quae verba saepe admirando spiritu iterabat, extendens brachia ad coelum et cum tanta contentione vocis ac clamoribus, ut cor ex ejus pectore exilire videretur. Sed cum quidam sacerdos saecularis, cui Bonaventurae virtus perspecta non erat, metueret, ne illa ab ea dicerentur ex desiderio potius abbreviandorum dolorum et fuga crucis, a me hac ipsa de re interrogata, rem se aliter habere respondit, et quantum ad se attineret, se esse paratam ad tolerandas inferni poenas aeternas, si id Deo placeret. Sed cum agnosceret se perfectius in coelo glorificaturam Deum, hanc solam ob causam se ad coeli domicilium anhelare.

Cum ergo ultimis sacramentis esset munienda, ante sacrum viaticum acceptum a me petiit, suo ut nomine — quod eam vehementia morbi facere non permittebat — legerem scriptum quoddam secretum, certa verborum formula initio morbi conceptum. Allata ergo sanctissimae Eucharistiae pixide

in altari extemporaneo intra cellulam ejus coram ipsa erecto, haec ejus nomine legi:

»Domine Jesu Christe, qui verus es Deus, Crea»tor, Redemptor et Dominus meus, cernens me in »hoc ultimo passu vitae meae brevi comparituram »ante tuum divinum conspectum et tribunal, deside»rans transire ex hac vita sicut decet servam et »ancillam tuam, in praesentia Divinae Majestatis »tuae haec protestor:

»Credo omnia illa, quae credit et docet sancta »Romana Ecclesia, et sum parata ad dandum totum »sanguinem et vitam meam pro quolibet articulo »fidei sacrosanctae, non tantum jam declarato, sed »si post obitum meum declarabitur, quem jam vir»tualiter credo et confiteor; et volo, ut ipse transi»tus meus ex hac vita sit quaedam protestatio et »confessio sanctae fidei tuae.

»Ego quamvis indignissima omni bono, et one»rata multis malis, et quae ex me nihil boni possum »habere, verumtamen innixa infinitae charitati et »misericordiae tuae divinae, et infinitis meritis vitae, »passionis et mortis Jesu Christi Redemptoris mei, »firmissime spero vitam aeternam et omnia auxilia »ac necessaria media pro illa obtinenda, confirmans »me in hac spe mea, intercessione Sanctorum, quo»rum auxilium imploro, maxime immaculatae Virginis »Mariae, Dominae ac Matris meae, et mei Angeli cu»stodis, et sanctae Franciscae ac sanctae Mariae Mag»dalenae, et aliorum advocatorum meorum, ac com»munione Sanctorum, qua gaudemus in sancta Eccle»sia Catholica, et cum hac spe volo vivere ac mori.

»Ego vilissima creatura, desiderans tamen ma»jorem gloriam tuam divinam, amo te, Deus, Crea»tor, Domine, Pater et omne bonum meum, et tibi »opto omnia bona supra omnes res creatas: cupiens, »ut et ego et omnes creaturae praeditae ratione tibi »serviant et te ament omni possibili modo per omnia »saecula. Et volo, ut omnes respirationes et passus »vitae meae et ipse transitus meus ad aeternam vi»tam sit quaedam irrevocabilis protestatio hujus »mei immutabilis amoris erga te, Deus, Creator, Do»mine, Pater, et omne bonum meum.

»Adoro et veneror omni possibili affectu infini»tam Majestatem tuam divinam, tanquam principium »et fontem omnis veri boni, et supremum Dominum »omnium creaturarum, recognoscendo vilitatem et »infirmitatem meam, et honorando te non solum in »coelo, in quo est thronus gloriae tuae, sed etiam »in locis omnibus, in quibus asservatur sanctissimum »Sacramentum Altaris, et in omnibus partibus mundi, »quas imples divina immensitate tua et existentia »vera ac reali, maxime in omnibus illis locis, in »quibus et ego et aliae ingratae creaturae tuae te »offenderunt, dilectissimum Deum ac Dominum et »Patrem meum.

»Detestor et abominor omnia mea praeterita »peccata, dolens de illis supra omnia mala, et desi»derans, mori potius ac ad poenas inferni damnari, »quam offendere divinam Majestatem tuam uno solo »veniali deliberato peccato. Et, si possem quovis »meo malo poenali futura impedire peccata, offero »ad id animam et corpus meum ad omnia possibilia

»martyria, immo ad ipsas poenas aeternas inferni, »dummodo cessent peccata et offensae supremae Ma»jestatis tuae, Domine ac Redemptor et Pater et »omne bonum meum.

»Gratias ago tibi omni possibili affectu, Deus »et Domine mi, pro omnibus beneficiis naturalibus »et supernaturalibus, communibus et particularibus, »notis mihi et ignotis; non solum pro iis, quae jam »percepi, sed pro illis quoque, quae percipiam in hac »vita et post meam mortem. Et cum non possim »ea compensare meliori modo, offero pro illis me»rita Jesu Christi Domini et Patris et Sponsi mei, »et in unione istorum copiosissimorum meritorum »offero me totam cum anima et potentiis ejus, »cum corpore et sensibus ac membris ejus et cum »actibus eorum, desiderans, ut sim hostia gratis»sima tibi, Domine meus, et praebeam gustum »ac consolationem maximam Majestati tuae divinae, »et nunc et per omnem aeternitatem, et simul offero »omnia merita et bona animarum et beatorum spi»rituum, et merita sanctae Ecclesiae matris meae, »optans his divitiis, derivatis ex meritis Christi Do»mini mei, tegere paupertatem et indignitatem meam »naturalem et moralem.

»Peto ab omnibus veniam et condonationem »omnium malorum exemplorum et molestiarum aliis »exhibitarum, praesertim a Reverenda Matre Prae»side monasterii, et a Reverendis Patribus Confes»sariis, et valedico omnibus, et ex corde ample»ctor omnes tanquam dominas et matres meas, et »gratias ago pro omnibus beneficiis et benevolentia

»mihi ab iis praestita sine meritis meis, et commen»do hanc pauperem animam meam sanctis oratio»nibus et devotionibus earum in unione meritorum »Christi Redemptoris mei et sanctae Romanae Ec»clesiae.

»Tibi vero Domine Deus, Pater, Sponse et omne »bonum meum, me offero et praesento totam, cum »omnibus votis et desideriis meis a te mihi inspi»ratis, et me trado in tuas piissimas manus: ut reci»pias hanc pauperem animam meam, indignam omni »bono, eamque vestias tali nuptiali veste, in qua »digne comparere possit in tuo divino conspectu, »valde grata et accepta Majestati tuae, et possit »te in aeternum laudare, glorificare et amare omni »possibili modo; et renuntio omni utilitati meae, »etiam beatificae visioni, si id cedere possit ad majo»rem honorem et gloriam ac bonum tuum, quod »antepono omnibus bonis meis et commodis etiam »spiritualibus et coelestibus, nolens aliud quam te, »et in te nihil aliud, quam majorem gloriam et amo»rem tui, pro quo in aeternum me offero, dedico »omne bonum meum, quem desidero laudare, reve»reri et amare omni possibili modo. Amen, Amen, »Amen.

»In manus tuas, Domine, commendo spiritum »meum: redemisti me enim Domine Deus meus, »Pater, Fili et Spiritus sancte. Amen«.

Factis his protestationibus, solita sua pietate ac devotione sanctissimam Eucharistiam accepit, et postea sacro oleo inuncta est simili pietatis sensu, quo ad devotionem excitabat spectantes.

Totum infirmitatis tempus transegit summa quiete et serenitate conscientiae, et quamvis interdum deploraret annos practeritos male transactos, id tamen faciebat cum filiali dolore, sine detrimento internae pacis et cum spe divinae misericordiae ac meritorum Christi auxiliis.

Toto infirmitatis tempore exacte obedivit omnibus iis sororibus, quae illi ministrabant; nec de ulla re questa est.

Cum rogaretur ab aliqua, ut se Domino post mortem in coelo commendaret, illa modeste quidem, sed audacter promittebat, tanquam secura de gloria coelesti; et hac occasione dixit, se post mortem suam unam e monialibus post se tracturam; et cum interrogata fuisset, quam trahere vellet, respondit non verbis, sed facie, quam subito convertit in Flaviam Domitillam Maximam, cum qua saepe de rebus divinis ante agere solebat. Et ita plane factum est; nam quindecim post mortem Mariae Bonaventurae diebus elapsis, prima omnium Flavia Domitilla vivere desiit; sancte et ipsa mortua est, post contritionem de peccatis sibi a Maria Bonaventura promissam et statim post mortem impetratam, ut paulo post dicemus.

Saepe in hac infirmitate excitabat sorores ad vitae perfectioris studia, et in particulari ad contemptum rerum a vita sancta avocantium; ideoque valde accusabat tepiditatem vitae suae anteactae, et tot annorum a se expensorum jacturam, et omissos innumerabiles meritorum cumulos, et coronarum in coelo neglectarum.

Benedicebat magno animi sensu Deum cunctis audientibus, et diem illum, quo se ad facienda S. Ignatii exercitia induxerat; eo quod tunc manifestius agnosceret, quantorum bonorum in anima ipsius illa exercitia fuissent origo et causa. Et addebat, si ad pristinam sanitatem rediret, se velle ea quolibet mense iterare, quamdiu viveret; sed cum a medicis esset praemonita, nullam superesse spem vitae, id sine ulla perturbatione et tristitia audiens, cum magna resignatione animi et tranquilla ac serena cum Dei voluntate conformitate reliquum vitae, oppressa licet morbis et doloribus, in valde intensis ac ferventibus, uti olim sana, supernaturalibus actibus traduxit. Nam quidquid pro remedio morborum ac dolorum levamine facere jubebatur, non ob naturae ac corporis solatium et confortationem virium sumebat, sed actu quodam reflexo et pio singula ob Dei amorem, pure propter Deum accipiebat; hoc fine os aridum eluebat et humectabat; hanc solam ob causam in hoc vel altero situ cubabat, et cuncta alia adhibebat.

Quod ut cum majori merito suo ac Dei gustu faceret, impetravit et a me et a monasterii Praeside, ut omnia et singula, quae ex medicorum praescripto charitas eximia sacrarum illarum virginum medendo et corroborando illius corpori exhibebat, illi tanquam res a sancta obedientia, non a solis medicis imperatae praeberentur; quas et illa, uti tales accipiebat, omnia supernaturali motivo, ac singula quoque sancto operandi modo conducendo ad majus incrementum meritorum, ac ampliorem divinae Majestatis

gloriam, quemadmodum in exercitiis spiritualibus didicerat.

Morti propinquior, vota paupertatis, castitatis et obedientiae renovavit coram monasterii Praeside, et omnes supra scriptas protestationes repetiit, saepe iterans magno cum corporis et animi ardore illa verba: *In aeternum et ultra;* desiderans laudare et amare Deum omni possibilis perfectionis modo, non tantum per totam aeternitatem, sed — si fieri posset — etiam ultra aeternitatem. Postea petiit alta voce Psalmum CII. legi, cujus initium est: *Benedic anima mea Domino, et omnia quae intra me sunt nomini sancto ejus*, et quae sequuntur. Quae verba cum magno affectu audiebat, et verbis similes suos affectus conjungebat: subsistens diuturnius in nonnullis Psalmi sententiis sibi caris. Post haec rogavit omnes adstantes, ut flexis genibus peterent a Deo velocem dissolutionem animae a corpore, et ut quantocius pervenire posset ad Deum amandum perfectius. Quod dum faceremus, et ex Rituali preces legeremus, illa saepe Crucifixi osculabatur imaginem, nec valens internum pietatis sensum reprimere, in haec et similia verba prorumpebat: *Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto;* et: *In te Domine speravi, non confundar in aeternum;* et: *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum, redemisti me, Domine, Deus veritatis.* Semel exclamavit: »O quantum doleo me loqui non posse!« causam rogata, respondit: »Quia etiam non possum ore laudare Deum, ut non tantum cor meum et anima, sed caro etiam exultet in Deo

meo.« Sed cum illi dictum fuisset, Deum, quem habebat in corde et anima, ibi audire voces mentis, conquievit. Porro cum totum infirmitatis et agoniae tempus sine ullo peccato et mentis perturbatione ac scrupulo transegisset, una ante mortem hora, hanc ei daemon cogitationem injecit, esse in ejus anima aliquod occultum peccatum, ob quod eam nollet exaudire Deus etsi tam ardenter animae dissolutionem postulantem, et tanquam suo conspectu indignam in his vitae miseriis detineret; verum postquam hoc ipsum mihi aperuit, — qui per septendecim continuo horas ei astiti usque ad mortem, nulla prorsus humana necessitate ab ejus praesentia avocatus — tentatio daemonis, qua illi desperationem frustra ingerebat, evanuit.

His peractis petiit, ut sibi indulgentia plenaria nominatim missa ab Urbano VIII. Pontifice maximo applicaretur; qua accepta perrexit in solitis suis affectibus, qui se per vultum et oculos ad coelum erectos et gestus manuum evidenter prodebant, saepius iterata hac sententia: *Jesus, Maria sint in mea societate.* Tandem usum linguae et reliquorum sensuum perdidit; et cum cessassent pristini corporis morientis angores per medium quadrantem horae, membris modestissime compositis, sanctam animam quietissime Deo tradidit anno 1627 26 mensis Februarii, intra 17 et 18 diei horam, anno aetatis suae vigesimo quinto. Quamvis non per integrum annum sancte vixerit, vere tamen de ea illud dici potest, quod a Spiritu sancto traditum est Sap. IV, 13: *Consummata in brevi explevit*

tempora multa; et quod S. Thomas de Sanctis insignibus disserens scriptum reliquit Opusc. XVIII. c. 7.: *Unus ab altioris sanctitatis gradu incipit, quam sit summum alterius, ad quod per totam vitam suam alter perveniet.*

Promiserat Maria Bonaventura Flaviae Domitillae Maximae id petenti, se daturam operam, ut post ejus mortem a Deo veram peccatorum contritionem obtineret; et eo ipso die, quo Maria Bonaventura obiit, nil adhuc Flavia Domitilla sciens de ejus morte, tam vehementem repente dolorem de peccatis commissis in se sensit, ut prae contritionis vehementia in spasmum quendam inciderit, et jam se morituram putarit, eo plane modo, quo B. Raymundo sancta Catharina Senensis contritionem et fletum uberem de peccatis commissis, teste ipso B. Raymundo et S. Antonio, impetravit. Quod Flavia Domitilla P. Nicolao Zachio confessario suo et hic mihi narravit. Unde indubie Flavia Domitilla postea agnovit, Mariam Bonaventuram id ei a Deo in coelis impetrasse, sicut vivens promiserat. Alia persona, mihi bene nota pridie mortis Mariae Bonaventurae eam rogavit, ut pro ipsa in coelis oraret, et se coelo potitam sensibiliter indicaret; illa candide promisit, se id facturam, et promissum exsolvit. Nam primo post mortem Mariae Bonaventurae die illa persona — quae quoniam adhuc vivit, se nominari non permittit — sensit in se magnam in re difficillima mutationem; nam ab eo tempore, non solum in superiore parte animae acquisivit divinitus gustum

majorem in omnis generis adversitatibus et persecutionibus, — quibus tunc a magnae auctoritatis viris exagitabatur, — sed etiam in parte inferiore, in qua hoc antea non habebat, coepit sentire minorem repugnantiam et naturalem ac involuntarium sensum crucis, majorem vero pacem et tranquillitatem tantam, ac si adversitates illae et omnes aliae postea, etsi in se et rarae et gravissimae, non illum, sed alium quempiam nulla sibi necessitate conjunctum attingerent: idque cum certo quodam etiam inferioris partis gaudio ac dominatu timoris et tristitiae naturalis, quibus viri etiam perfecti, etsi inviti, premi solent, dum ab iniquis criminatoribus acerbe ac graviter, nulla sua culpa vel causa, impetuntur; ex qua admirabili et paucis concedi solita mutatione ac gratia non temere credi potest, Mariam Bonaventuram brevi post mortem Dei beatifica in coelis visione fuisse potitam.

Quod quidem secundo post obitum Mariae Bonaventurae die cuidam moniali virgini mihi intime perspectae — quotidianis raptibus valde celebri, a magnae auctoritatis nostrae Societatis Patribus diu examinatis et approbatis, tanquam a Dei spiritu ortis — in raptu quodam divinitus revelatum fuit.

Ut autem appareat, quam accurate Maria Bonaventura spiritualia exercitia peregerit, et quomodo ea ad praxim revocarit, ac quibus modis fructum ex iis derivarit, visum est describere praxim glorificandi Dei in hac vita, quam manu propria Maria Bonaventura conscripsit, et quae post ejus mortem cum aliis ejus scriptis ad meas manus pervenit.

Ex hac enim praxi vitae spiritualis studiosi discere poterunt: et qui fructos exercitiorum annotari debeant memoriae causa, et qua ratione exercitiorum praesidio mores vel emendandi, vel componendi, vel perficiendi sint ad Deum quam maxime colendum et amandum; quod solum per exercitia rite suscepta praetenditur.

PRAXIS

in hac vita glorificandi Dei ex sancti Ignatii Exercitiis excerpta.

I°. Fuge quodvis etiam minimum peccatum ita, ne unquam offendas Deum cum plena advertentia rationis et deliberatione, non tantum mortaliter, sed etiam venialiter. Sed cum sine venialibus peccatis haec vita non agatur, cave, ne committas peccata gravia venialia, nec levia multarum specierum, et haec sint quam paucissima et rarissima, et non sint talia, quae scandalizent et offendant alios, nec talia, quae valde disponant ad mortalia, uti sunt: cogitationes turpes negligenter rejectae et curiositas oculorum in aspiciendis corporibus, etiam sacris, nudis, multo magis profanis et formosis faciebus sive juvenum, sive feminarum.

II°. Expia peccata commissa quoad culpam et quoad poenam quamprimum, tum sinceris confessionibus, tum actibus contritionis, ut est diversa ab attritione, tum actibus amoris Dei amati super omnia, tum frequenti detestatione peccatorum, quamvis illa non sit tam efficax ut contritio; tum aliis actibus

supernaturalibus virtutum, qui sunt contrarii peccatis commissis, tum actibus poenalibus poenitentiae, et religionis, et fraternae charitatis, uti sunt: jejunia, disciplinae, vigiliae, cubatio in nudis asseribus, orationes longae genibus flexis factae, cilicia, eleemosynae, obsequia impensa infirmis, officia servilia, amor inimicorum, beneficia illis praestita. Supra omnia autem fervens cum intensis actibus devotio in offerendis Deo omnibus, quae facis, et iis faciendis.

III°. Da operam, ut ita vivas, ut omnia opera tua sint meritoria gratiae et digna praemio coelesti, et in te augeant gratiam et virtutes supernaturales et dona Dei. Ad hoc autem necessariae sunt hae conditiones: 1°. Ut non habeas unquam peccatum mortale in anima, sed sis in gratia Dei. 2°. Ut omnia facias propter motivum aliquod supernaturale, quod Apostolus faciendum monet, etiam dum comedimus et bibimus. 3°. Modus operandi sit bonus, hoc est, conformis rectae rationi et lumini conscientiae, conformis doctrinae S. Ecclesiae et Patrum spiritualium et regulis tui Ordinis. 4°. Operationes nostrae non inquinentur ullo peccato veniali, quod vitiet vel finem vel modum bene operandi. Sic operando imitaberis Christum, qui dixit: *Ego quae placita sunt ei, facio semper:* et sic quoque imitaberis spiritus coelestes, qui nunquam peccant et semper sunt occupati in ferventissimis operibus summe Deo gratis.

IV°. Non sis contenta quibusvis bonis operibus, sed inter opera, quantum potes et quantum licet,

elige semper magis perfecta et magis Deo grata: ex quibus major Dei laus et gloria oriatur. Porro major Dei gloria et perfectior hinc cognoscitur: 1°. Ex majore perfectione virtutis: nam v. g. perfectior est charitas quam fides, virtus religionis quam patientiae. 2°. Cognoscitur ex majori difficultate objecti et materiae, ceteris paribus; unde perfectius est amare pro Deo inimicum, quam amicum, et dare majorem eleemosynam, quam minorem. 3°. Cognoscitur ex majore victoria nostrarum repugnantiarum, quas sentimus in bonis operandis. 4°. Ex majore nostri mortificatione et confusione. 5°. Ex majore repressione humanorum respectuum et majore contemptu judiciorum alienorum ac censurarum, quae curando saepe Deum offendimus et bona ommittimus. 6°. Cognoscitur ex tempore magis longo, quod in opere bono expendimus. 7°. Ex majore utilitate vel alicui personae vel toti communitati provenienti ex nostro opere. 8°. Cognoscitur ex durabilitate operis, si aliquid fiat vel fundetur duraturum et profuturum etiam post nostram mortem. 9°. Si opera nostra extendantur ad utilitatem vel saltem solatium plurium personarum vel locorum. 10°. Si opera fiant ob plures supernaturales fines inter se subordinatos, et omnes ad eum ordinatos, in quantum est motivum amoris supernaturalis, quem theologi vocant benevolentiam, quae est perfectior, quam amor concupiscentiae, quo Deum amamus prout nobis est utilis.

V°. Non tantum vivendo glorifices Deum, sed etiam post mortem in coelo; idque iis modis: 1°. Co-

nare, ut ad coelum pervenias sine purgatorio, ut ita quam citissime incipias glorificare Deum in coelis. 2°. Coneris esse in altissimo gradu gloriae coelestis, beatissimae Virgini et Christo quam proximo: ita enim amabis et glorificabis magis Deum, et Christi merita ac ejus in te gloria magis elucebunt, erisque ejus membrum illi tuo capiti magis proportionatum, et imago Deo Patri similior per virtutes, et dignius templum Spiritus S. 3°. Procura, ut tanta gloria in coelo polleas apud Deum, ut inde quam proxime et quam plurimos adjuves ad dilatandum per illos quam maxime gloriam Dei. 4°. Desidera, si id magis Deo placeret, essetque cum majori ejus gloria conjunctum, etiam in coelo humiliari, pro Deo affligi, et modis omnibus Deo placentibus exagitari et deprimi, et te privari iis gaudiis, quibus est plenum coelum. 5°. Contenta sis privari visione Dei beatifica, si hoc esset necessarium ad majorem Dei gloriam. 6°. Si id Deo placeret magis, loco visionis Dei beatificae, opta habere alios tantos gradus virtutum, qui correspondeant visioni Dei, qua privareris ex amore ejus. 7°. Sed cum Deus fidelis sit in promissis, et daturus sit gloriam coelestem diligentibus eum, ita debes habere purificatum et defaecatum cor, ut non per actum reflexum et quasi coacte, sed tanquam connaturaliter desideres Deum videre in coelo, ne quidem secundario ob bonum tuum, ut bonum tuum est, sed totaliter et pure propter ipsum Deum, in quantum id bonum Dei est, quippe cessurum id in majorem gloriam et laudem Dei; quod quidem

tam perfecte desiderare debes, ut dum senties in te desiderium gloriae coelestis, ne quidem in memoriam tibi veniat speculative desiderium coeli propter commodum et gustum tuum, sed solum propter gloriam Dei.

VI°. Desidera et conare glorificare Deum post mortem, non tantum existendo in coelo, sed etiam in terra, his modis: 1°. Ut postquam anima separata fuerit a corpore suo, immediate post ita remaneat in lecto decenter et honeste compositum corpus tuum, in omnibus membris et vestimentis, rebusque aliis ad id spectantibus, ut aspicientes excitet ad laudandum et glorificandum Deum, eique perfectius serviendum. 2°. Ut vestes, quibus usa fuisti, et quantum ad paupertatem et munditiam et alia, tales inveniantur, ut ex illis, qui eas viderint, sumant occasionem glorificandi Deum. 3°. Cubiculum tuum ita post mortem tuam redoleat paupertatem, munditiem et ordinem suppellectilis, ut hinc quoque excitentur alii ad glorificandum Deum. 4°. Similiter et lectus tuus, in quo morieris, habeat in se aliquid, quod excitet ad glorificandum Deum.

VII°. Per personas, cum quibus conversaris vel conversata es, sic glorificabis Deum, si conversatione tua eas reddideris meliores in obsequio Dei, id specialiter spectans in eis, ut non tantum te vivente, sed etiam te mortuo Deum glorificent loco tui, et ex causa tua, et tu quasi vivas in eis, eo fere modo, quo dicit Spiritus S.: *Pater....quasi non est mortuus, similem enim reliquit sibi post se [filium].* (Eccli. XXX, 4.)

VIII°. Officiis et occupationibus tuis glorifica Deum, eas ita obeundo perfecte, ut relinquant bonum odorem virtutis et quandam ideam aliis perfecte operandi, cum magno incremento divinae gloriae domi et foris.

IX°. Usu temporis glorificabis Deum, tum juxta monita tibi a Patre spirituali pridem data, tum his modis: 1°. Si negotia tua ita tractabis et stabilies, ut etiam post mortem quam diutissime durent et Dei gloriam semper dilatent. 2°. Si in omnibus actionibus et conatibus tuis non tanquam usufructuariorum more, sed tanquam haeres procedes, non spectando tantum, ut tuo tempore bene procedant, sed ut postea etiam fructus eorum duret. 3°. Si in ipso fine negotiorum tuorum ita iis applicata eris, et res omnes ad illas spectantes dispones, ac si tunc illud negotium inchoares.

X°. Etiam absentia tua et post mortem glorificabis Deum, quando ita vives et procedes in omnibus, ut illi, qui te cognoverunt, vel de te aliquid audiverunt, recordatione tuorum bonorum exemplorum et perfectionis in modo tractandi negotia, excitentur ad laudandum Deum et ad gratias agendas ei ad tui imitationem.

XI°. Praeter haec, etiam conatibus tuis glorificabis Deum: interius quidem per ardentissima desideria, ut per te et per alios quam maxime promoveatur divina gloria; exterius vero adhibendo omnem operam, ut, quae aggressa es pro gloriae divinae dilatatione, optime succedant, retinendo tamen in animo quoddam tui dominium a nimia sol-

licitudine liberum et plenam resignationem, per quam contenta remaneas et tranquilla, si Deus sine culpa tua noluerit succedere res a te inchoatas.

XII°. Etiam per omissiones debes glorificare Deum his modis: 1°. Non peccando in occasionibus peccati, v. g. non irascendo, dum aliqua injuria afficeris. 2°. Non peccando etiam aliis temporibus, quibus non occurrit ulla occasio te ad peccatum incitans. 3°. Cessando ab opere quod facis, quando cessare jubet vel regula vel approbata consuetudo tui Ordinis, vel is qui praeest, mandat. 4°. Non aggrediendo nec inchoando negotia, si putes esse mentem contrariam ejus, qui tibi praeest. 5°. Non occupando te in ulla re, etiam bona, sine licentia. 6°. Non offerendo operam tuam ad ullam rem, etiam bonam, sine licentia. 7°. Ne quidem ostendendo inclinationem tuam ad aliquid faciendum sine licentia. 8°. Non petendo consilia ab externis sine licentia. 9°. Abstinendo etiam a rebus non malis, si sint aut vetitae aut peregrinae in tuo domicilio. Sed ut per has omissiones magis glorificetur Deus, illas ipsas actualiter offer Deo singulas per actum reflexum. 10°. Glorificabis Deum abstinendo ab usu creaturarum superfluarum, v. g. non utendo duobus Breviariis, sed uno, et sic de aliis. 11°. Non utendo creaturis, etsi pro eo tempore utilibus, non tamen omnino tunc necessariis, v. g. dum candela ardet in publico ambulacro vel ambitu et sat praebet luminis, ut tuam candelam non adhibeas propter majus lumen; sic si satis est ad eluendum os vel manus semel aquam adhibere, bis non adhibeas.

12°. Noli desiderare ullam rem non necessariam nec utilem ad satisfaciendum obligationi tuae, v. g. habitare in tali loco, tale officium obire etc., sed sis semper resignata et indifferens ad omnia, quae circa te disponet Deus per Superiores, nil prorsus eligendo in particulari, nil detrectando; licebit tamen proponere cum indifferentia, si clare videris id Deum a te exigere. 13°. Non petas a proximo tuo ullum obsequium vel auxilium, quod illi potest esse incommodum vel molestum, nisi cogaris id facere ob evidentem necessitatem vel utilitatem majoris gloriae divinae. 14°. Non adhibeas ad usum tuum res necessarias magis pretiosas, quam minus pretiosas sed e contra; ideo et vestibus ex panno viliore uteris et Breviariis, quae minoris veneunt, uti sunt Venetiis impressa, non Antverpiae vel Parisiis. 15°. Noli adhibere ullum levamen molestiis et crucibus tuis; ideoque abstine ab excusationibus, defensionibus et similibus, per quae crux Christi minus amara redditur et levior, cum eam optare debeas et ferre omnibus instantibus vitae tuae quam gravissimam et quam amarissimam parti tuae inferiori et amori proprio. 16°. Noli ostendere vel servare literas aut res alias a personis aliquibus insignibus ad te missas vel datas tibi, ex quibus visis ab aliis possit de te concipi major et melior opinio. 17°. Preme silentio omnia, quae aut bonam apud alios de te opinionem conciliare possent aut solatium aliquod humanum adferre; ideo extra casum necessitatis noli commemorare aliis, quam medicis, indispositiones corporis tui: quia sola talium rerum

commemoratio est quoddam naturae et infirmitatum levamen et solatium amoris proprii.

XIII°. Contradictionibus, adversitatibus, persecutionibus et quibusvis molestiis glorificabis Deum, eas tolerando non tantum patienter, sed etiam libenter, immo et cum exultatione et gaudio, et adhuc cum desiderio majorum et plurium molestiarum nunquam finiendarum; ideoque nullas fugere aut declinare debes et ne quidem leviores reddere, sed in crucibus nil nisi crucem tuam quam gravissimam et Dei gustum et gloriam quam maximam quaerere.

XIV°. Peccatis tuis et alienis, dum tibi in memoriam venient, sic glorificabis Deum: 1°. Excitando in te odium et detestationem eorum propter Deum per ea offensum, omni obsequio et amore dignum. 2°. Dolendo de iis magis, quam de omni alia infelicitate et calamitate. 3°. Optando et procurando, ne amplius unquam committantur. 4°. Satisfaciendo pro iis modis in Ecclesia usitatis. 5°. Offerendo te Deo ad omnes calamitates, etiam ad poenas inferni, si earum toleratione posset effici, ne unquam offendatur amplius dilectissimus Dominus Deus tuus. 6°. Excitando eorum occasione ardentius in te studium Deo perfectius serviendi, ut sancte et perfecte vivendo possis aliqua ratione compensare tot injurias Deo per peccata illatas ejusque cor exhilarare.

XV°. Conare et da operam, ut et verbis et exemplis et precibus et aliis, quibus poteris, modis inducantur alii quoque ad glorificandum Deum modis hic explicatis.

Hae sunt praxes et fructus exercitiorum scripti et collecti a Maria Bonaventura, tum ex usu meditationum ab illa diligentissime et ferventissime peractarum, tum ex instructionibus sibi a suo directore datis; quibus illa tam exacte et accurate obedivit, ut nunquam a primo die exercitiorum usque ad ultimam ejus vitae horam, per menses undecim ac dies fere viginti sex, — non diutius enim postea vixit — ullam in ea deprehenderim aut inobedientiam, aut negligentiam, aut repugnantiam, aut actionem contrariam alicui vel minimo monito aut bono proposito, aut doctrinae in hac praxi glorificandi Dei descriptae, cui tota ejus reliqua ab exercitiis vita plene fuit in omnibus conformis. Quod in ea fuit mirabilius, cum fuerit complexionis naturalis vivacissimae, instar vivi argenti, huc illucque antea per monasterium discurrens, ad res exteriores et distractiones effusa, et res et personas spirituales declinans, tepidis et negligentibus adhaerens, ex vivacitate morum et velocitate actionum et impetu aliquot vestes quotannis ex optimo panno factas lacerans. Quibus omnibus non obstantibus, ita a primo die exercitiorum vivacem et rebellem Deo naturam vicit, et inordinatos passionum motus compescuit, ac pravos habitus et consuetudines abolevit, per actus vitae anteactae contrarios cum omni, quam agnoscebat esse adhibendam, diligentia et fervore factos et conjunctos cum insatiabili desiderio majoris in dies, imo in horas perfectionis assequendae, ut non tantum spiritus et pars animae superior, sed etiam inferior et omnia corporis ejus mem-

bra ac sensus viderentur transformata in Deum ac res divinas, per imitationem heroicarum virtutum et omnis perfectionis, ut merito personis perfectissimis in gradu altissimo annumerari possit, »qui sanctissime vivendo nullum, ut ait S. Gregorius Naz. (or. I. in Julian.) ascensus in virtutibus et deificationis modum seu finem ac terminum inveniant«.

Unde quivis evidenter potest agnoscere, ad quantam sanctitatem ascendere deberet per exercitia quotannis animam excolendo et evehendo, praesertim irrigando quotidie in Sacrificio missae corpus et animam Dei sanguine, et divina Christi carne saginando, et intra se inexhaustum omnis sanctimoniae fontem recipiendo: cum una virgo per exercitia S. Ignatii tantum semel sine tot praesidiis, quibus abundamus, facta ad hos, quos recensui, perfectionis gradus ascendere tam exiguo temporis spatio potuerit, nec per se, uti solent sacerdotes, sacrificans, nec quotidie Dei corpus et animam et sanguinem divinitate imbutum sumens ad expulsionem malorum et acquisitionem amplissimam omnium donorum coelestium; quod Dei sacerdotes sacrificium Eucharistiae quotidie offerentes facile assequi possunt. Unde merito S. Chrysostomus ait: *Quo non oportet esse puriorem tali fruentem sacrificio? quo solari radio non splendidiorem manum, carnem hanc dividentem, os quod igne spirituali repletur, linguam quae tremendo nimis sanguine rubescit?*

Quod si quaerat aliquis, quam existimem ex parte sua adhibitam a Maria Bonaventura dispositionem ad tam insignia Dei dona ei divinitus tam

cito collata? Ego sane existimo Deum, qui facienti quod in se est non denegat gratiam, et qui fidelem in parvis promovet ad majora, et qui erga eum liberales liberalius ditat, ut ait S. Ignatius, quatuor dispositiones in Maria Bonaventura tam eximiis, uti vidimus, virtutum et donorum praemiis remuneratum esse.

Prima omnium fuit: magna sui victoria, quam ostendit, dum magnopere repugnantem a faciendis spiritualibus exercitiis naturam — se generose vincendo propter Deum et animae suae bonum — ad ea suscipienda adegit, resoluto animo omnia taedia et molestias, quas in illo secessu et solitudine sperabat, constanter tolerandi; magnum enim ad consequendam sanctitatem adjumentum est nostri in rebus difficilibus victoria, uti sentiebat S. noster Franciscus Borgia (l. IV. *vitae* c. 5.) immo et ipse S. Ignatius *(Exam.* c. IV. §. 46. et apud Ribadeneiram in *vita* l. V. c. 10. et Orlandinum l. I. *Annal.* l. VII. c. 2.), uti et S. Xaverius (apud Turselinum l. I. c. 5. et l. VI. c. 7. 13. 14. et l. III. epist. 5).

Secunda dispositio ejus fuit: cura minimorum accuratissima, tum in fugiendis omni conatu etiam levissimis peccatis et defectibus, tum in servandis iis sui monasterii regulis et probatis consuetudinibus, quae a socordibus et tepidis tanquam res parvi momenti violantur; tum in quaerenda sui abnegatione et mortificatione in minutissimis rebus. Quam minimorum curam plurimum conferre ad sanctimoniam vitae docent SS. Patres citati a Julio Nigronio in tractatu ascetico, et ego magnorum Dei ser-

vorum Dei exemplis et experientia ostendam toto opusculo de Privilegiis fidelium Dei servorum.

Tertia dispositio ejusdem fuit: exactissima cura in expediendis bene omnibus particulis temporis, quod totum — repudiata omni curiositate et rerum indifferentium tractatione — traducebat in rebus meritoriis ob finem supernaturalem modo perfecto tractatis. Per talium enim operum tractationem et frequentiam, immo assiduitatem, magni fiunt in acquisitis et infusis virtutum habitibus progressus et ampla sanctimoniae incrementa, uti docent et theologi et vitae spiritualis magistri. Hac ratione nullam praetermittebat occasionem coronas coelestes praeparandi sibi. Imitabatur quippe S. Patrem nostrum Ignatium, qui, ut scribit Maffejus in ejus vita l. III. c. 1.: *Summa observabat cura quidquid ad Christi gratiam vel tuendam vel augendam quoquo modo pertinere intelligeret.*

Quarta dispositio ejusdem fuit: indefessus fervor, quo singulas quasque actiones pure propter Deum peragebat, et imprimis omnes additiones et meditationes et instructiones exercitiorum, dum ea summa diligentia et applicatione animi faciebat: quia, ut bene scriptum reliquit S. P. Ignatius in prima epistola, quam 7. Maji anno 1547 scripsit ad nostros Lusitanos, excitans eos ad studium perfectionis: *Rarum aliquod et eximium facinus [ex vivido sanctoque fervore profectum] sexcentis vulgaribus minutisque antecellit* [seu, uti est in textu hispanico, *plus valet unus actus intensus, quam mille remissi et debiles]: ad quem enim virtutis gradum*

multis annis piger non potest adrepere, exigua temporis intercapedine diligens mirabiliter volat [sive, ut est in hispanico, *brevi tempore acquirit*]. Talium e numero fuit haec ferventissima virgo, de quibus loquitur S. Bernardus serm. XXIII. in Cant.: *Qui amat ardentius, currit velocius, et citius pervenit. Perveniens, non dico repulsionem, sed nec cunctationem patitur. Sine mora aperitur ei, tanquam domesticae, tanquam charissimae, tanquam specialiter dilectae et singulariter gratae.* Imitemur ergo hanc virginem, saltem nos religiosi, praesertim sacerdotes, et qui plures quam illa annos in vita religiosa explevimus, ut ex fertili sanctorum exercitiorum pomario similes heroicarum virtutum fructus quam plurimos et quam citissime decerpamus. Amen.

FINIS OPUSCULI SEXTI.

INDEX RERUM,

QUAE IN HOC OPUSCULO CONTINENTUR.

AMICITIA particularis vitanda, maxime juvenum, *Pag.* 281 et 282.

ANIMA curanda magis, quam alia temporalia, 59. et toto cap. V. Curanda quotidie ejus formositas, 152. Multae animae quotidie damnantur, 82. Anima Deo bene serviens, quantopere placeat Deo, 84.

APOSTOLORUM virtutes assequi possumus, 17, II°.

ASPECTUS arcendus a rebus non necessariis et maxime a feminis, 123, IV°.

BENEFICENTIA erga alios nos facit similes Deo, 155, 13°.

CASTITAS nos facit similes Deo, 154, 11°.

CENSORES fideles morum nostrorum constituendi, 288 et 289.

CHRISTUS propositus ad imitandum, 17, III°.

COLLOQUIA de rebus non necessariis vitanda, 283—287.

CONSCIENTIA nostra est bonus magister noster, 16, II°.

CONSTANTIA in bene coeptis nos facit similes Deo, 145, 6°.

CONTEMPTUS rerum mundanarum nos facit similes Deo, 154, 12°.

CONVERSATIO vitanda cum discolis, 125, V°. Sed si evitari nequeant, juvandi sunt bonis consiliis et exemplis, 130—132. et 295—297. Cum quibus conversandum, 281 et 282.

CORPUS. Corporis nostri membra sunt instrumenta justitiae, 29.

DETRACTIO cur vitanda, 106, I°. toto et 113, III°. toto. Vix ulli sunt liberi ab hoc vitio, 122 et 12?.

Deus dat quotidiana auxilia ad singula opera, 86. Inessentiavit in nobis suae naturae bonorum simulacra, 103. Promptior est ad dandam nobis perfectionem, quam nos ad eam recipiendam, 86. Sedet in anima justi, 25. IV°. toto. Subjicit se nobis ad instar servi, 31, 32 et 33. — Dei amici sunt pauci, 79—84. Conemur nos Deo assimilare, quippe tanquam ejus imago, 22 et 23. Cur? 24 et 25. Quaerendus est cum magno desiderio, 63 et 64. Quid ei similem justum facit, 141 ad finem cap. Hoc est, beneficentia erga alios, 155; castitas, 154; constantia, 145; contemptus rerum mundanarum, 154; dominium passionum, 145; humilitas cum paupertate, 152; mansuetudo, 145; patientia, 142; paupertas, 144; puritas conscientiae, 141; toleratio injuriarum, 147; unio mentis cum Deo, 146.

Diabolo plures serviunt, quam Deo, 84 et 85

EXAMEN quotidianum quomodo peragendum, 34.

Exempla Sanctorum proposita sunt nobis ad imitandum, 17, II°.

Exercitia Spiritualia. Qualis debet esse finis exercitiorum spiritualium nostrae Societatis, 1 et 2. Eorum commendatio ab exemplo S. Caroli Borromaei, qui per ea prima vice facta in alium virum mutatus est etc. *ibid.* In exercitiis istis renovanda est animae imago, ut in illa abluantur omnia, quae eam foedarunt, 5, 1°., quae sunt, quae illam frequentius foedant, 102 et toto cap. VIII.; et ut novis coloribus inductis illustretur, 7, 8 et 9; quae maculae ejus abluendae, 10. Juxta quas ideas renovanda in exercitiis anima nostra, 16 et toto cap. II. Duo fundamenta procuranda in exercitiis, 21 et toto cap. III. Motiva hujus renovationis, 22, I°. Armandus animus contra humanos respectus, 37 et toto cap. IV; quas ob causas, *ibid.* Excitandus animus ad majorem applicationem circa curam rerum spiritualium,

59 et toto cap. V. Excitandum ardens desiderium et cura acquirendae sanctitatis et ad hoc motiva proposita, 62 et toto cap. VI. Et virtutum quarundam ardens desiderium procurandum, 138 et toto cap. IX. Procuranda quoque abolitio poenarum purgatorii, 156 et toto cap. X. Praeparandus animus ad persecutiones futuras post exercitia, 203 et toto cap. XII. Qui fructus nominatim quaerendi in exercitiis, 213 et toto cap. XIII. Quid tempore exercitiorum faciendum illis temporibns, quae intercedunt inter praecedentem horam meditionum, 218 et toto cap. XIV et cap. XV. Cur in multis non durat fructus exercitiorum, 246 et toto cap. XVIII. Quid faciendum post exercitia ad conservanda bona proposita in iis concepta, 269 et toto cap. XIX. Quomodo facienda a viris in spiritu provectis, 298 et toto cap. XX.

FERVOR in quo situs, 95—100. Qualis sit fervor in bene operando, 95—99. Aliquando vitam abbreviat, 100 et 101.
FINIS in actionibus nostris debet esse valde consideratus, 4. Quid debet continere in nobis, 11 et 12.

GERTRUDIS sancta erat solium Dei in corde ipsius habitantis, afflicti peccatis hominum, 84. Ejus libri quinque insinuationum divinarum sunt jussu Dei editi et ab eo laudati ac approbati, 200.
GRATIAE effectus redundat in corpus, etsi corpus non sit ejus subjectum, 28.

HOMINUM genus majore cura indiget, quam plantae, 65.

IMAGO Dei quomodo in nobis reformanda, 5, 7—10 et 17, III°. Idea renovationis, 22, I°.
INFERNUS; multae animae quotidie ad eum detruduntur, 82.
INJURIARUM toleratio facit nos Deo similes, 147, 8°.
INTENTIO recta quantopere Deo placeat, 198, IV°.
JUDICIA temeraria cur vitanda, 106, I°.

MANSUETUDO facit similem Deo, 145, 4°.
Mariae Bonaventurae vita, 379 et toto cap. XXII.
Meditatio. Qui sunt fructus bonarum meditationum, 213 et toto cap. XIII. Quomodo conservanda bona proposita meditationum, 269 et toto cap. XIX. Meditationum puncta pro octiduana recollectione, 315—377.
Membra nostra sunt instrumenta justitiae, 29.
Mundus plenus est peccatis, paucos Dei amicos habens, 79, motiv.11.

OPERA bona justi, etiam non poenalia, conducunt ad evadendas vel minuendas post mortem poenas purgatorii, 179, I°. Fiant modis traditis, 93 et 94.

PASSIONUM dominium facit hominem similem Deo, 145, 5°.
Paupertas facit similem Deo, 144, 3°.
Peccatorum fuga primo omnium est necessaria ad perfectionem acquirendam, 137. Praeter Christum et Mariam omnes Sancti, etiam Apostoli erant iis obnoxii, 104. Peccata venialia deliberata nunquam committenda 133, VI°. Peccatorum effectus, 137. Curari possunt peccata facilius quam morbi corporis, 136.
Perfecti pauci, 79—84 et 86 et 87.
Perfectio cur valde appetenda, 65 et inde ad fin. cap. VI.
Persecutiones patienter toleratae valde prosunt animae, 203 et toto cap. XII. *vide* Tribulationes.
Profectus in virtutibus. Signa ejus rariora, 380 et toto cap. XXII. Signa ejus in novitiis 391, 392 et 393.
Proposita bona in meditationibus facta quibus mediis conservanda, 269 et toto cap. XIX.
Purgatorium. Quam sint graves ejus poenae, 158—166. Cur procurandum nobis est, ne simus post mortem in purgatorio 157, 158 et seq. Valde difficile est evadere poenas purgatorii, 170—179. Modi eas evadendi, 179 et toto cap. XI. nimirum per omnia opera justi, etiam non poenalia, 179 et toto I°. Evaduntur per bonum usum sacramentorum, 191 et toto II°. et per indulgen-

tias, 194 et toto III°. et per oblationem singulorum operum ad gloriam Dei, 198 et toto IV°. et per voluntatem pro Deo abnegatam, *ibid.* et per actum aliquem heroicum, 200 et toto V°.

PURITAS nos facit similes Deo, 141, 1°. et 151, 9°.

RECREATIONES nostrae in qualibus colloquiis transigendae, 276—281.

REFORMATIO nostri et renovatio a quibus magistris petenda in exercitiis, 1, 2 et 3. Cur procuranda, 34 et ad fin. cap. III.

REGULAE curant morbos animorum, 21, IV°.

RELIGIOSI boni descriptio, 236 et toto cap. XVII. Ferventes et sancti sunt pauci, 86. motiv. XIV. Mali signa, *ibid.* tepidi sunt multi, descripti, *ibid.*

RESPECTUS humani vitandi, 37 et toto cap. IV.

SANCTITATIS magnae acquirendae desiderium excitandum est in meditationibus quotidianis, praesertim in annua collectione, et quas ob causas, 62 et toto cap. VI.

SPIRITUALIS viri descriptio, 236 et toto cap. XVII.

TOLERATIO injuriarum nos facit similes Deo, 147 et toto 8°.

TRIBULATIONES patienter toleratae quae bona afferant, 203 et toto cap. XII.

UNIO mentis cum Deo facit similem Deo, 146, 7°.

VERITATES quaedam practicae nominandae tempore meditationum, vel alio, 222 et toto cap. XV.

VIRTUTES sunt masculinae, 28. Etiam in corpus refunduntur, 28 et 29. Sunt valde desiderandae, 138. Quae nos faciunt similes Deo, 141—155 et eae enumerantur, *ibid.*

A. M. D. G.

Excudebat J. Łakociński. — Sumptibus PP. S. J.

060.32
L 226

27319

LANCICIUS, NICOLAS, S. J.

AUTHOR De Meditationibus Rerum Divinarum

TITLE in Recollectione Octiduana

DATE LOANED	BORROWER'S NAME

27319